



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia VWestfaliæ

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1690

Liber I. VWestfaliæ Romanæ.

urn:nbn:de:gbv:3:1-367846



DECAS

HISTORIÆ WESTFALICÆ

LIBER I.

VVESTFALIÆ
ROMANÆ.

QUam rogatu præsentium, & posteritatis bono, perscribere suscepimus Westfalix historiam, consilium est, ab ultimâ antiquitatis memoriâ arcessendo, ad nostra usq; tempora perpetuâ narrationis serie contextam deducere. Opus, etsi peculiaris historiæ, cum per se ipsum multis laboribus & difficultatibus involutum, tot sæculorum periodos & hiantes sæpe temporum lacunas transire; tum plenum audaciæ & temeritatis, velle hoc erudito atq; aureo literarum sæculo in aliquem scriptorum numerum venire, qui desiderium legentis gustumq; syncerum ex ipso narrationis succo expleat. Et quem hoc scribendi genus non alienum teneat? in quo omnia propè summa ex multiplici rerum scientiâ, & nihil magis quàm iudicium requiritur, ut delectationem in narrando, fidem in asserendo, præcepta vitæ salubria in docendo, simul præstes. Horum si vel unum desit, munus historici non explesti. At sæpe scribendi audacia supra fiduciam sumenda, cum alieno magis hortamento imperioque, quàm sponte tuâ urgeris; & nuda rerum narratio, quæ nobis unice proposita est, si candorem fidei præstet, animos semper naturâ delectat, cum primisq; si contextæ veritatis telæ inhæreat: haud secus, quam nativa virginis pulchritudo ex simplici cultu multo gratius amantium oculos afficit, quam omnia illa ascititia corporis ornamenta, & fucata vestium onera. Ut cunq; nunc se ista habeant, quæ sapientes viritam exactè præcipiunt; aut quo quisque hæc animo sit excepturus: nos tenuitatis nostræ conscij, maluimus ex neglecta antiquitatis memoria, tanquam ex naufragio colligere tabulas; quàm pati, ut ea, quæ supersunt, aut cum
A cæteris

cæteris intercidant, aut indigesta posteris relinquantur. Neque alia nobis hujusce rei aut justior causa, aut urgentior ratio fuit, quàm egregius FERDINANDI Præfulis ac Principis nostri apparatus, quem ille primùm Romæ ex Vaticanâ Bibliothecâ, tum Paderbornæ ex arcano Provinciæ & Diœcesis tabulario, cæterisq; antiquitatum monumentis per summam industriam, exquisitamq; historiarum cognitionem jam à multis annis collegerat, digesseratque ab *Hathumaro* primo Paderbornensium Episcopo, per consequentes inde Præfules & Principes ad suum usque Principatum; ut in structura hujus operis, non aliud quàm componentis in ordinem manus; neque alius architectus, quàm qui ipsum opus cœperat, expeteretur: si quantum ingenij & doctrinæ ex omnium scientiarum comprehensione aderat, tantum otij literarij, & vacui ad scribendum temporis licuisset inter publicas Principis Imperij curas interponere. Accessere erudita illa antiquitatum Monumenta Paderbornensia, rara hujus Diœcesis decora, ex eodem Principis sinu, & ingenij meditantis in lucem edita, magnoq; eruditorum virorum plausu excepta, quæ tanquam præludia quædam, & invitamenta poscebantur plenâ & continenti historiæ narratione convestiri. Hic cum alij statim à re Christianâ ordiendum dicerent; alij contra censuere ab ipsis gentium primordijs, quæ has regiones antiquitus incoluere, narrationem altius instituendam esse; eamq; quam *Monumenta Paderbornensia* partitionem materiamq; præscriperant, tanquam faciem ex speculâ sequendam esse. Quod cum iis magis probaretur, quibus hujus scriptionis labor subservit, horum mihi voluntati accedendum fuit. Eo mihi tota historia primùm in *Romanam*, deinde in *Francicam* & *Saxonicam* divisa est; cui *Christiana Saxonica* succedet: Tum res ab Episcopis Paderbornensibus ad nostram usque ætatem præclare gestæ memorabuntur. Quo in genere scriptionis, etsi nobis *Paderborna* ob antiquitatum monumenta communis proposita fuerit, quod in nulla harum regionum parte, aut plura, aut illustriora, quàm in hac Diœcesi nostrâ se offerant; tum ita tamen res à *Romanis*, *Francis*, & *Saxonibus* gestæ, inter se cohærent, ut nobis tota simul *Westfalia* describenda fuerit. Neque enim hæc bella unius gentis; sed omnium, quæ inter *Rhenum* & *Visurgim*, interq; *Albim* adeo continentur, communia fuere: Unâq; semper armorum conspiratione ac societate, nunc pro libertate gentis, nunc perumpendi limitis Rheni causâ, nunc prædandi infestandiq; cupiditate sumpta sunt.

Primùm igitur *Westfaliam Romanam* scripturi, haud cum alijs certius, quàm cum Romanis scriptoribus, primas gentium origines, primosq; harum regionum populos ordimur. Res implicata quidem, & ingrata fortè in ipso scriptionis vestibulo; sed quæ ad historiæ integritatem aliorum instituto invaluit; quibus decorum semper fuit,

anna-

annalium suorum exordia ab ultimo vetustatis recessu per insitam quandam majorum venerationem retexere. Quod tanto etiam liberius nobis sumimus, quo persuasum magis est, Germanos nostros, qui trans Rhenum incolunt, *indigenas esse, minimeq; aliarum gentium adventibus et hospitibus mixtos*; sed propriam & synceram & tantum sui similem gentem extitisse, quæ ne aliarum quidem nationum connubijs infecta sit. Fateor equidem, prisca illa, quæ ante Romanorum in his regionibus bella à multis traduntur, perquam obscura & incerta esse, ac per licentiam vetustatis multis conjecturis, multisq; ingeniorum commentis & fabulis respersa reputari: datur tamen hæc venia antiquitati, ut proferantur in medium, audianturq; magis, quàm credantur: seu quod in antiquis etiam, si quæ similia veri sint, pro veris accipiantur. Neq; aliunde magis horum ignoratio, quàm quòd inter Germanos priscis illis temporibus nulla scriptorum monumenta, nulli rerum gestarum commentarij fastive; in gente nimirum barbara, in qua viri pariter ac foeminae secreta literarum ignorabant. Carolo M. hæc debentur, à quo ludi literarum primum cum Christianâ religione aperti. Unicum apud barbaros Germanos memoriae & annalium genus, carmina quædam antiqua, quibus populari lingua heroum facta decantabantur in vulgus: quo cantu Arminij etiam res gestas celebratas memorat Tacitus. Eò & Carolus Magnus barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum acta & bella canebantur, descripsit, memoriaeq; mandavit. Perinde ut ijs hodie dum delectatur Germanorum Belgarumq; vulgus. Verùm cum hæc dudum interierint, nec in literas relata sint, fluxa propè est omnis fides narrantium, qui ad ea se referunt. Quò tamen in genere quantum sibi indulgent Saxonici, Frisici, Danici, alijque scriptores nostri? qui tot priscos Reges ac Principes fictâ poetarum scenâ introducunt, quorum nulla apud probatos auctores memoria. Hos ipsos ego opinor plura transcribere, quàm credant. Interim illi tam securè hæc scribunt, quàm multos habent errorum comites; & tam confidenter hæc narrant, quàm libere ex remotissimis Indiarum terris ad nos remeantes multa commentis inspergunt, quòd nemo eos facillè testibus revincat. Certiora ex Græcorum Romanorumq; scriptoribus petenda, qui res gestas per Europam primum literis consignarunt: Quamquam & à Græcis sæpius fides desideretur. Inter Romanos exploratus fidusque scriptor Cornelius Tacitus, qui Germaniam nobis ex instituto descripsit, Galliæ Belgicæ Procurator, cognitorq; harum regionum: nam quæ Plinius libris xx, quæ Asinius Quadratus, quæ Livius de Germania scripserunt, fato suo sunt amissa. Et Tacitum si convenias, is *Tuistonem*, quem alij *Teutonem* dicunt, primum Germanorum parentem, & conditorem gentis introducit. Hujus filium *Mannum* tradit; Manno deinde tres filios adsignat novos Germaniæ progenitores, à

Tacitus de Germ. c. 2.

Primi trans Rhenum Germaniæ populi, indigenæ.

Tacitus de Germ. c. 2.

Tacit. lib. 2. Ann. in fine. Eginardus in vita Caroli.

Tacitus de mor. Germ. c. 2.

quibus proximi Oceano *Ingevones*, medij *Herminones*, ceteri *Istævones*; His deinde plures Heroës divis illis genitoribus ortos attexit, *Marfos*, *Gambriuos*, *Suevos*, *Vandalios*; quibus tamen ipse tam dubia fide accedit, ut nec confirmare auit, nec refellere. Sanè quod *Tuistonem* deum terrâ editum scribat, quàm non canora poëtarum fabula? Nisi fortè per umbram ac rimam lucis respexerit ad primum humani generis parentem, quem Deus ex limo terræ formavit. *Plinius* Germanos in quinque populorum genera partitur. Ex his primi *Vindelici*; horum pars *Burgundiones*, *Varrini*, *Carini*, *Guttones*. Alterum genus *Ingevones*; quorum pars *Cimbri*, *Teutoni*, & *Chaucorum* gentes. Proximi autem Rheno *Istævones*, * horum pars *Sicambri* antiquissimi *Paderbornensis* Diocesis incolæ. Mediterranei *Hermiones*, quorum pars *Suevi*, *Hermunduri*, *Chatti*, *Cherusci*. Quinta pars *Pencini*, qui & *Bastarnæ*, *Dacis* contermini.

Hæc prima gentium inter Germanos nomina. Quo verò consilio fateve hi populi primum in has regiones penetrarint, diffuderintq; se in tantâ brevi sobolem; aut in quam Reipubl. formam, vitæque cultû coaluerint, scriptoribus illis incognitû fuit. Nobis, quibus sacrarû literarum monumenta veram lucem dedere, prima horum omnium origo ad *Noëmi* stirpem revocanda est. Quâ autem propagatione post eluvionem orbis terrarum primi mortalium Colonias suas ex *Asiâ* in has oras traduxerint; aut quâ classe advecti sint, una simul vetustas abdidit. Id tantummodo indubitatum, triplicem *Noëmi* stirpem ex tribus filiis, *Semo*, *Chamo* & *Japheto*, brevi in sexaginta novem familias excrevisse, à quibus *divise sunt insula gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familiam suam in nationibus suis.* Utrumne ex hac partitione orbis, Germani ex *Japheto*, *Gomere* & *Ascene*, quem *Celtarum* parentem volunt, originem traxerint, ego in medio relinquo. Ceterum ex hac sæculorum caligine nomina gentium, quàm origines certiora: quando scriptorum consensu satis constat *Illyrios*, *Gallos*, *Germanos* & alios etiam per Europam populos uno *Celtarum* vocabulo compellatos esse: tamet si Galli id sibi proprium magis vendicare velint. Singulæ deinde nationes gentesq; suis nominibus, regnis & provinciis discretæ; perinde ut linguis, legibus, moribus, vitæq; instituto in diversa sensim abiëre.

At proprium & vetustissimum gentis nostræ nomen, antequam Germani dicerentur, *Theutisconum*, *Tuisconum*, & *Teutonum* fuit: seu à *Tuistone* primo gentis conditore; seu à *Teutone* Rege, quod plerisque probari video; seu à *Teutate* deo, supremo *Celtarum* numine, quem alij *Mercurium* interpretantur, primò cultum inter barbaros harum regionum populos. Celebris inde *Teutonum* gens, quæ cum *Cimbris* in societatem belli venit, Galliamq; & Italiam irrupit, nec Virgilio incognita:

Tento-

Plin. lib. 4. c. 14.
Primorum
per Germani-
am populo-
rum nomina.

* *Al. plini-*
us quo-
rum pars
Cimbri
mediter-
ranei

Gen. c. 10.

Germani
primum
Thuiſto-
nes &
Teuto-
nes dicti.

Teutonico ritu soliti torquere Catenas.

Multa hujus nominis gentisq; vestigia ad Caroli Magni ætatem. Quid enim *Theotiscus* populus & *Theodisca* lingua, in quam primum *Otfridus* librum Evangeliorum vertit, Francis aliud sonat, quam Germanicæ gentis origines? Hanc nominis vetustatem *Tutienſe* munimentum ex adversa Agrippinæ ripâ, *Duisburgum* ad *Ruram*, & *Teutoburgum*, seu *Theutmallum* in comitatu Lippiensi apud nos oppidum servari credunt. Superest hodie dum villa Decumana haud procul *Teutoburgo* oppido, & Cladis *Varianæ* loco, quæ hoc nomen Teuto- Theute-
meser. num retinet. Certius verò & illustrius apud nos ex prima antiquitate monumentum ipse *Teutoburgensis* saltus, Clade *Varianâ* nobilis: ut vel inde affirmari libeat, primam illam & priscam Germanorum gentem, in hisce Teutonicis montibus, qui *Visurgi* prætexuntur, & latè se per Diœcesin *Paderbornensem* exporrigunt, sedes suas habuisse, quas postea *Anchriarii*, *Cherusci*, *Sicambri*, bellaces non minus, quam *Teutones* populi infedere. Si non ipsa veterum illorum Teutonum progenies, ac mutato tantum nomine alia, quæ primò *Arminium*, post *Widekindum* Germaniæ bellatores dedit, cujus utriusque adhuc arcis vestigia apud nos visuntur. Quò mihi aberrare videntur, qui Teutonum gentem ac sedem ad confinia Cimbrorum restringunt; aut nomen tam pressè arctant, quòd toti nationi ad Rhenum usque diffusæ commune fuit. Testes tot Pontificum & Cæsarum tabulæ, & vetusta diplomata, quibus tota natio Germanica *Teutonico* nomine insignitur: haud secus, quam *Teutonicus* ordo ex Equestri Germanorum nobilitate, totâ hanc German. nobilitatem complectitur; nec aliter apud Italos & Hispanos invaluit, *Theutiscos* nos hodie dū compellare.

Tandem post commune *Celtarum*, & proprium *Teutonum* no- Germani
unde post
dicti.
Tacit. de
Germ. mor.
c. 2.
Cæsar. lib. 2.
de bello
Gal.
Plutarch de
bello Cimb.
in Mario. men, *Germanorum* appellatio invaluit. Tacitum hic denuò audimus; *Germaniæ* vocabulum recens, et nuper additum; quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt, nunc *Tingri*, tunc *Germani* vocati sunt. At non Taciti primum ævo auditum, quod jam antè *Cajo Julio Cæsare* usitatum; cum is à *Rhemis* Belgicâ gente didicit, plerosq; Belgas à Germanis ortos esse. Reperias auctores qui bello Cimbrico, primum *Germanorum* nomen invaluisse velint, cum legati Cimbrorum postularent sibi ac fratribus suis terras, & habitabiles locos, quos incolerent; à Romanis dari: quumq; rogarentur, quinam illi fratres essent? respondisse *Teutones* esse, *Mario* novitatem nominis admirante. Quâ deinde expeditione, & fidâ armorum societate, Germanorum nomen à Latinis inditum esse censent. At *Strabo* primum à Romanis suæ Strabo lib. 7. linguæ vocabulo Germanos dictos asserit, quòd habitu corporis fratres Gallorum viderentur. Certius ego eorum opinioni accedo, qui ex mente Cæsaris ac Taciti id statuunt, traduntq; ab ijs populis, qui primò Rhenum transgressi, depulsis Galliscis Rhenum sedes occupa-

verè, quos Eburones, Condrusos, Ceresos, Pemanos, & Segnos fuisse constat: ij licet uno vocabulo post Tungri sint appellati, primum tamen Germani, ob fidam belli conspirationem opemq; mutuam, sunt dicti; Quod deinde nomen in cœteros ejusdem victricis nationis populos transfusum; nec aliud à Tacito dictum volunt plerique, ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox * à se ipsis invento nomine, Germani vocarentur. Haud secus, quam post ex iisdem populis collecta bellantium multitudo Rhenum transgressa, Franci nomen à libertate gentis sibi sumpsit. Seu nunc à Teutonis, seu ab his quinque Tungrorum populis Germanici nominis Origo; certè non ab aliâ bellace dixerim gente, quam quæ antiquitus ex his Westfaliæ, & veteris interiorisque Germaniæ provincijs Rhenum transgressa, depulsis Gallis, citimas Rheni terras occupavit. Juvabit nunc ex ipsâ Germaniæ divisione propius accedere, & qui prisca verique Germani sint, quique has regiones deinde infederint, tanto exploratiùs cognoscere, quanto certius ex Romanorum bellis, eorumque scriptoribus nobis traduntur.

Germania omnis in CisRhenanam, & transRhenanam dividitur, eâ nominis appellatione, quòd Rhenus ab ipso fonte in Oceanum usq; decurrens, mediam interfluat, & in partes suas populosque secet. Olim Rhenus limes inter Gallos & Germanos utramque gentem à se discludebat; et tempus antea fuit, inquit * Cæsar, quum Germanos Galli, virtute superarent, et ultro bella inferrent, ac, propter hominum multitudinem, agriq; inopiam, TransRhenum colonias mitterent ... Sed Galli paulatim assuefacti superari à Germanis multisq; præliis victi, ne se quidem ipsi cum Germanis virtute comparant, cò continuis cum Gallorum populo bellis & victorijs progressi, ut post Tungrorum irruptiones Belgiam prope utramque suæ nationis hominibus impleverint. Sic reperit Cæsar, ut diximus: plerosq; Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumq; antiquitus tradidit, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosq; qui ea loca incolerent, expulisse. In hunc numerum traductorum ex TransRhenanâ Germaniâ populorum in Gallicum solum veniunt Menapii, Sunici, Gugerii, Taxandri, Bethasii, Caninefates, Aduatici, alijque. Sanè Aduatici Cimbrorum & Teutonum progenies. Batavi, Catorum quondam populus, seditione domesticâ in illas sedes insulæ suæ transgressus: ex iisdem Catibus Caninefates Batavorum pars, Treveri et Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi, tanquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine et inertia Gallorum separentur. Hinc Plinius ausus scribere: toto hoc mari ad Scaldim usq; fluvium, Germanicas accollere gentes, haud explicabili mensurâ. Quin in ipsam usq; Britanniam Germanorum propagata gens est, ita enim Tacitus de Britannis. *Habitus corporum rarus, atque ex eo argumenta. Namque rutila Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseverant.* Hæc nimirum Caledonia illa, quæ

Tacit. de
Germ. mor.
c. 2.
* al. à se ip.
sa.

Divisio
Germaniæ.

a Cæs. lib. 6.
Com. de bel.
Gal.
Tacitus de
Germ. mor.
c. 28.

Cæsar lib. 2.
Com. de bell.
Gal.

Tacit. de
mor. Germ.
c. 28.

Plin. lib. 4.
c. 13.
Tacit. in vi-
ta Agricole.

quæ Britannia minor, & secunda primum, post Scotia est dicta. Multa sunt hujusmodi. Atque ut nostra propius conspectemur, *Ubi & Sincambri* post à Romanis in alteram ripam translati, Uterque veteris Saxoniae & Westfaliae populus. Nec dubitaverim plerosque citerioris ripae, ex hac ipsa regione, quæ officina populorum semper habita fuit, originem suam traxisse. Utcunq; etiam id se habeat, certè lingua, moribus, corporum habitu, iisque omnibus, à quibus nationis origo & similitudo ducitur, Germani noscuntur. Universim Dio Cassius de his pronunciat: *Celtarum quidam, quos Germanos vocamus, quum omnem * Galliae regionem, quæ Rheno adiacet, occupassent, effecere, ut ea Germania vocaretur superior, quæ à Rheni fontibus incipit; inferior, quæ ad Oceanum usq; Britannicum porrigitur.* Terminus utriusque, ab alijs Mosella, ab alijs Obrinca fluvius, Arennacum & Bonnam interlapsus statuitur. Utraque hæc Germania citerior, quam & primam & secundam vocant, una cum Gallijs citò à Romanis subacta, in provinciarum formam cessit: utriq; suus præses impositus, & Rhenus limes castellis, oppidis, castris, & præsidijs legionum firmatus. Inde omne certamen belli Romanos inter & Germanos in hoc limite superando exarsit. Non Danubius, non Euphrates, Imperij Romani sanguine tanto steterè, quanto Rhenus. Vera igitur Germania, quæ & antiqua, & à Ptolomæo Germania magna appellatur, TransRhenana est, procreatrix omnium horum populorum, à quibus citerior Germania, depulsis ad interiora Gallis, repleta est. Bellicosissima non minus, quàm vastissima Europæ pars, & à nativis indigenisque Germanis infesta: quos ex veterum descriptione ad Orientem *Vistula* amnis, mutuusq; metus à Sarmatis & Dacis; ad Meridiem Danubius à Rhætijs & Pannonijs; ad Occidentem Rhenus à Gallijs disclusit. Cætera ad Septentrionem Oceanus ambit, latos finus, & immensa insularum spatia complectens. Germania hæc vetus ac TransRhenana Tacito in duas potissimum partes est divisa, quarum altera *Suevia*, antiqua inter *Vistulam*, *Danubium*, *Albim*, & *Salam* flumina, multarum gentium sedes: in his *Hermunduri*, *Quadi*, *Longobardi*, *Vandali*, *Marcomanni*, *Narissi*, *Semnones*, *Ligii*, *Burgundiones*, *Heruli*, *Rugii*, aliaque populorum nomina, quos bella cum Romanis aperuere. Amplissima veterum Suevorum natio, quæ in Cattos se diffudit, unaque sæpe cum TransRhenanis nostris societate belli conjuncta. Certus nobis in his Dio Cassius auctor, Pannoniæ præfectus, & horum locorum sciens. *Suevi*, inquit ille, si accuratè loquamur, Germanica transRhenum natio est; quamquam multi quoq; Suevorum nomen sibi sumant. Cæsar in commentarijs non alios ferè hoc nomine designat, quam Cattos, quibuscum illi transito Rheno proximum bellum fuit. Nam quæ inter *Lechum* & *Danubium* provincia nunc Sueviæ nomen retinet, ea aut veteris Sueviæ Segmentum est, aut gens in illum angulum detrusa. Altera Trans-

Tac. lib. 12.
Ann.
Strab. lib. 4.

Sueton. in
Aug.

l. 53.

* al. Celti-
cam.

Germa-
nia mag-
na Trans-
Rhenum.

Tacitus
Mela
Plinius
Ptolom.

In duas
partes di-
visa.

Dio lib. 51.

Nomina
populorum
inter Vi-
surgim &
Rhenum.
Dio. l. 54.
& 55. Vel-
lerus lib. 2.

Strabo.

Trans-Rhenanae Germaniae pars, quae inter Albim & Rhenum se in Occidentem exporrigit, & in Septentrionem ingenti flexu redit; ea tamen si priore angustior, multo tamen praestantior celebriorque bellicosius gentibus: & quod Rheno propior, viciniorque Galliae fuit, eo cultior, eoque Gallorum ac Romanorum bellis magis inclaruit. Advertet is, qui Tacitum de Germania & Germanorum bellis pervolverit expenderitque, singularem gentium indolem, mores, virtutes, resque praecclare gestas. Hic ego nihil referam de Cimbrorum, Teutonum, Gothorum, Frisonum, Saxonum, Anglorum populis; aut ijs, qui trans Albim, Oceani littora, sinum Codanum, & circumjacentes insulas, atque etiam trans mare incoluere, olim Germanis accensi; quiq; tanta bellantium virorum multitudine ex fecundis illis & populosis sedibus egressi, Imperium Romanum Cimbrorum Gothorumque armis juncti invasere. Nihil de Cheruscis, qui intra Albim & Visurgim sedes habuere; ac primum cum Cattis, deinde cum Arminio duce, postremum cum Romanis acerrimo bello commissi, celebrem fecere gentem suam ac regionem, quam nunc Brunswicenses, Lunenburgenses, caeterique populi insident, insita bellandi fortitudine. Una nobis tantummodo regio intra Rhenum & Visurgim proposita est, quae Francia vetus, dein Saxonia, ac demum Westfalia dicta est. Arcta regio, si cum caeteris Germaniae partibus conferatur; sed quae bellicosius gentibus & rerum gestarum gloriam caeteris multo celebrior. Hic magna pars Cattorum; hic *Sicambri*, *Mattiaci*, *Ubii*, *Teneteri*, *Uspetes*, *Bructeri*, *Marsi*, *Angrivarii*, *Chamavi*, *Dulgnini*, *Amisivarii*, *Chassuarii*, *Tubantes*, *Chauci*, sedes suas habuere. Cheruscos etiam Visurgim transgressos, in citeriori ripa & Westfaliae solo confedisse, satis ex Dione ac Velleio constat. Superfunt hodie dum vetustae arcis rudera, haud procul a Ludâ oppido, & Ambra flumine, in edito montis Teutonici jugo, quae Arminij ipsius sedes bellica, constante nominis & incolarum tradita memoria, perhibetur. Frisij finitima gens, & quantum ultra Italiam olim protensa, pars regionis Westfaliae fuit; & saepe Frisij ex eadem belli societate adversus Romanos cum Westfaliae gentibus conspiravere. Inter hos *Bructeri*, *Chauci*, et *Frisi*, ex modo virium, & amplitudine regionis, in majores, & minores divisi fuere. Haec ut certa, ita nihil difficilius, quam singulis gentibus suas sedes adsignare, quas soli Chatti, & Frisij cum nomine ad nostram usque aetatem constanter retinent. Id vel eo arduum implicatumque, quod in mutatoria illa populorum scena nihil stabile, sed ut quaeque gens validior armis, ita aut aliam sedibus suis per intestina bella expulit, aut sponte in alias sedes commigravit, nunc soli uberioris, nunc praedae cupidine excita. Multi interim conati singulis suas sedes adscribere; & multus in hoc Cluverij, exacti admodum scriptoris, labor: Si non temeritas etiam, tam minuta velle praestare

stare, & per certas lineas cujusque gentis regionem circumscribere, quod ne ipse quidem Tacitus sibi, opinor, polliceri ausus: aliqua tamen hic species & notitia danda, ne loca ignorentur, quorum res gestas narraturi sumus; quisque ex ingenio addat vel demat, quod visum fuerit. Ac primum Catti, qui & Chatti, & Chassi, passim à scriptoribus memorantur, iidem, qui modò Hassi, soli ex omnibus barbaris Westfalicae populis, sicuti & Frisij, priscum nomen & sedes retinent, Gens inter priscos hosce populos bellicosissima. Taciti hoc judicium de ea & præconium est: *Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, et maior animi vigor: Multum (ut inter Germanos) rationis et solertia: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplina concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum.* Et quæ non in laudem hujus gentis Tacitus? Cæsar in Commentarijs Suevorum nomine complexus est; seu errore nationis, seu partem Suevorum designarit, quod gentis illud nomen antiquitus latè fusum inter Albim, Salam, & Danubium, Cattisque contermini fuerint Suevi; seu quod magnam partem commixti inter se fuerint Catti Suevique. Quanquam Cæsaris ævo nondum Cattorum nomen invaluisse dixeris: frustra quæ Cæsar erroris incusetur. Ad hæc de Cattis idem Tacitus postea, quæ de Alemannicae populis dixerat: *Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant: non ita effusis et palustribus locis, ut cætera civitates, in quos Germania patefcit.* Cluverius uti ad septentrionem conjungit Cheruscis, ita ad Occasum Cattos extendit ad Sicambrorum, Bructerorum, Tencterorum, & Marlorum fines; multumque per Dioecesim Paderbornensem ad Ambram usque fluvium exporrigit. Frequens gentis nomen apud Tacitum, Strabonem, Plinium, Dionem, & Ptolomæum, censentque non pauci, *Cassellas*, quæ Hassiæ est urbs primaria, ex Castello Cattorum servare nomen.

CATTI

Tacitus de moribus Germ. c. 30.

Ubi Chattis ad occidentem contermini, intra Westfalicae solum trans Rhenum confedere; post à Chattis vexati bellorum injurijs, petiere ab Augusto Cæsare in citeriorem ripam transferri. Indulsi id Augustus; & à M. Agrippa Galliarum procuratore transportati, ubiorum Coloniam ex suo nomine reliquerunt posteris: cui ab Agrippinâ Juliâ Germanici & Agrippæ filia, quod Coloniae genita, augustus nomen additum. Valuit ad id etiam M. Agrippæ avinomen, à quo ubiorum gens ante in tutelam suscepta erat. Ea gens quam fida inde Romanis, tam avulsa à cæterorum Germanorum societate.

MATTI-
ACI

In Ubiorum locum per superiorem Rheni ripam successere Mattiaci, Tac. lib. XI. Ann. 6. 2.

Tacitus lib. XI. Ann. c. 20. *Plinius lib. XXXI. c. 2.* *Marcell. lib. XXXIX.* *Dilich. in Chron. Hafsia.* *SICAM-* *BRI.* *Florus lib. 4. c. ult.* *Dio lib. 39.* *Tacitus de Germ. mor. & l. 2. Ann.* *Velleius l. 2.* *Strabo l. 7.* *Eutrop. l. 7.* *Mollerus in Rhæni description.* *Cluverius l. 3. c. 9.* *Montanus in Caf.* *Pontan. de orig. Francorum & Geldria hist.* *tiaci*, Cattorum pars, qui & ipsi in societatem populi Romani ultrò tranfierunt, Ubiorum exemplo, quorum in agro Curtius Rufus reclusit specus quærendis venis argenti. Plinius verò & Marcellinus, calidos apud *Mattiacos* in Germania fontes memorant. Celebre *Mattium*, caput gentis *Chattorum*, quod Ptolomæus *Mattiacum* dixit; alij *Marburgum*, alij *Mettium* vicum, censent referre vestigia. At gens ipsa *Mattiacorum* non tam clara bello quàm *Chatti*, qui *Taciti* iudicio bellicosissimi Germanorum, intraq; *Diœcesis Paderbornensis* limites se antiquitus porrexere.

Finitimi *Chattis Sicambri*. Florus hos inter validissimas gentes reponit, unà cum *Cheruscis*, & *Suevis*, seu *Chattis*. *Sicambros* *Drusus* oppugnandos suscepit, ut bella, quæ memorabimus, testabuntur.

Gentis nomen vario vocis flexu traditum, dum alij *Sugambros*, alij *Sigambros* rectius scribunt; & originem populi à *Sigâ* amne deducunt, cujus primùm accolæ fuerunt. Prorsus fabulas narrant, qui indigenam hanc cum cæteris Germanis gentem à *Trojanorum* *Sicambri* trahunt. Sedem, situmq; hujus bellicosi populi satis aperit castellum *Alifonis* in meditullio *Diœcesis* nostræ, quod ad continendos *Sigambros*, *Cattos* & *Cheruscos* posuit *Drusus*; præmunijt *Tiberius* & *Germanicus*. Ac cætera si expendantur, quæ de *Sigambri* memorantur, notissima, ut inquit *Strabo*, *Germanorum gente*: haud aliud confeceris, quàm eas regiones occupasse, quæ secundum *Luppia* ripam ad *Rhenum* usq; se porrigunt: *Montesq;* adeò *Surlandia* & ducatum *Westfalie* magnam partem insedisse, quos à *Bructeris* *Luppia* flumen discluserit: Ita ut ultima *Sicambrorum* *Bructerorumq;* in *Paderbornensi* *Diœcesi* requirenda sint. Post, incertum quo belli casu, ad divortia *Rheni* submoti in *Teutonico* latere ea loca tenuere, quæ nunc *Geldris* ac *Clivis* attributa. Ad ultimum in adversam *Rheni* ripam traducti, anno ante Christum octavo. *Tacitus* prorsus excisos prodit: *Strabo* magnam partem relictos. Sanè *Francorum* origo ex his cum primis *Sigambri*: quamquam apud *Tacitum* in postremis Germanorum bellis nulla *Sigambrorum* mentio; ut pressi potius à Romanis, quàm excisi reputentur.

TEN- *CTERI,* *& USI-* *PETES* §. Succedunt *Tencteri*, & *Usipetes*, *Usipijve*, utraq; gens clara bello, & uno ferè fato jactata: Sed *Tencteri* ut *Cattis* vicini, ita post *Cattos* nulla propè gens à *Tacito* magis commendata: Quippe *fra solitum bellorum decus*, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud *Cattos* peditum laus, quàm *Tencteris* equitum: Sic instituere maiores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio; perseverant senes. Postquam *Sicambri* submoti sedibus, successere in eas *Tencteri* & *Usipetes*. *Tencteri*, quæ ad *Luppia* se exporrigunt loca in *Paderbornensem* *Diœcesin* sunt digressi. *Usipetes* ad *Rhenum* capef-

capeffivère sedes; deinde & ipsi à Suevis Cattifve expulsi agris, et multis locis Germaniæ triennium vagati; quæ tempori memorabuntur. Postremum à Sigambribus intra suos fines recepti, in tantam brevi multitudinem excrevère, ut juncti in societatem armorum Sigambribus, bellum ultrò Romanis inferrent, tam formidabile, quo ipse Cæsar Augustus urbe extractus. Consecuta mox clades Lolliana, quanta horum populorum gloriâ, tantâ Romanorum adversus Germanos exacerbatione.

Juxta Tencteros Bruçteri olim occurrebant, inquit Tacitus: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsus Bruçteris, ac penitus excisis; sed gens, si à primâ rerum gestarum memoriâ repetas, potens & latè fusa, & bellis incluta: sedes ijs fuit in meditullio Westfalicæ: Quippe Germanicus in Cheruscis moturus Cacinnam cum quadraginta cohortibus, per Bruçteros ad flumen Amisiam misit, quibus tanquam intento digito monstratur sedes. Strabo ad utramq; Luppia ripam Bruçteros minores collocat; majores inde ad Chaucorum & Frisiorum fines extendit. In sedere igitur regionem Diœcesis Monasteriensis, & comitatum Zutphanensem: magnam de hinc partem Diœcesis Osnabrugensis & Paderbornensis, ubi extrema Bruçterorum ad Amisiam & Luppia fontes ponit Tacitus: simul comitatum Retbergensem & Delbruggiam complexi. Nomen apud scriptores varium, Græcis Βεστανγοι^a & Βεττιγοι^b: Latinis Briçteri, Borthari,^d Bruçteri,^c Burcturi^e & Boructuarii^f vocantur. Verisimilis origo nominis à paludibus & incultis saltibus, quos incolæ etiamnum prisca linguâ Bruchios, & Brocos dicunt. Nam si Germania uspiam Silvis horrida, et paludibus fœda Tacito est, tum hæc Westfalica regio, ut vel hic pontibus longis viæ militares insternendæ fuerint. Celebris inter Bruçteros Velleda fatidica virgo ad Luppia ripas; tum & Cæsia Silva, Wesaliam inter & Cœsfeldiam, nunc fere excisa, & majorem partem culta. Sed non gens ipsa adeo Taciti ævo excisa, ut mox referam, quin consequentibus sæculis, & Cæsaribus ad Pipinum & Carolum M. armis valida claraque: quando & D. Svvibertus Evangelij docendi causa Boructuarios adiit; & Gregorius III. Pontifex scriptâ Epistolâ Turingis, Hessis, Bortharis, Wedrevis, Loganis, Sudnotis, & Grabfeldis D. Bonifacium commendat.

§. Angrivarii dehinc, & Chamavi validi per Westfaliam populi, quorum conspiratione ac viribus olim Bruçteri ad internecionem propè deleti, cæsis supra XL. millia Bruçterorum. Quanquam Chamavorum incerta sedes: nam quæ horum quondam arva, mox Turbantum, et post Usipiorum fuere. Ante Julij Cæsaris expeditionem in Gallias, Rheni ripam incoluisse constat: inde versus Luppiam in Angrivariorum, Ampsivariorum & Cattorum finibus confedere. Clavus & constantior Angrivariorum populus, qui à Reginone Angrii, ab

Cæsar lib. 4.
com. de bel.
Gal.

BRU-
CTERI
Tacitus de
Germ. mor.
c. 33.

Tacit. lib. 1.
Ann. c. 60.

^a Ptolom.
^b Strabo.
^c Turon. l. 2.
c. 9.
^d Greg. III.
in Epist.
^e Naz. ar. in
Paneg.
^f Tab. itinere-
rar.
^g Marcell.
in vita D.
Svviberti.

ANGRI-
VARII.
Tacitus de
Germ. c. 33.
Tacit. l. 13.
ann. c. 55.
Sulpitius
Alex. apud
Turon.
Ennapius.

ab alijs *Angrî* scribuntur. Prisca horum sedes in montibus *Teutonicis*, ubi *Engeren* vicus, arx & monumentum *Widekindi*, *Angrivario-*rum Ducis, spectatur hodie dum. Veteres interim limites obscuri.

*Tacit. lib. 2.
Ann.*

Tacitus inter *Visurgim* & *Amisim* omnes collocat. Quippe *Germanicus Cæsar* classe per ostium *Amisis* in vectus, terrestri legionum profectio ad *Visurgim* contendit : dumq; arma in *Arminium* movet, à tergo *Angrivario*rum defectio nunciatur ; ut jam sedes eorum convenienter ab ortu *Teutonicorum* montium capias, extendasq; per *Osnabrugensem* *Dioccesin*, comitatum *Ravensbergensem*, *Lippiensem*, *Hervordiam* : inde per idem jugum montium in superiorem partem *Episcopatus Paderbornensis*, & subjectam montium planitiem. Et nomen favet : *Angrî* enim loca herbida & culta, qualia per totum illud dorsum montium *Teutonicorum*. Nec minus gentis amplitudinem ostendit *Angaria* ducatus, quantus vel à *Widekindo* possessus, vel à *Carolo M.* donatus, descriptusq; jurisdictione *Sacra Episcopo Paderbornensi* per *Ravensbergensem* Comitatum : & quanta pars *Lippiensis* comitatus eidem præfuli olim asserta, ex quo nunc jure feudi hanc retinent : Et quantum ex posterioris ævi tabulis & diplomatis æstimes, totus ille *Teutonicorum* montium tractus *Angrivario*rum fuit : inde post *Saxonia* in *Ostfalos*, *Angrivarios*, & *Westfalos* divisa, medium inter hos montium jugum *Angrivarijs* occupantibus.

MARSI

Marsi post hæc non ignobilis populus, interq; *Gambrivios*, *Suevos*, *Vandalios* priscae originis recensiti à *Tacito*, *Sigambris* contermini : quamvis arctiore regione postea inclusi, principio haud procul à *Rheni* ripâ confedere. Post sub exitum *Augusti Cæsaris* pressi

*Strabo l. 7.
Tacit. lib. 1.
Ann.*

Romanorum propinquitate ad interiora recessere, receptiq; à *Bructeris* validiore gente intra fines & tutelam. Tacitum si consulas, modò ad *Cœsiam* sylvam collocari vides ; modò non procul *Alisonis* castello, & *Teutonicis* saltibus in confinio *Bructerorum*. Quippe *Marforum* fines *Varus* cum legionibus ante cladem transijt. Ac *Marfi* ab *Arminio* exciti venere in hanc belli conspirationem : ob quæ *Germanicus Cæsar* ulciscendi causa, primùm in *Marfos* movit, excisoq; *Tanfanae* templo, agros *Marforum* ferro flammâque vastavit, inde per *Bructerorum* fines cum exercitu ad *Rhenum* regressus ; alia deinde expeditione irruptum ab *Rheno* per *Bructerorum* regionem in *Marfos*, acceptusq; in deditionem *Malorvendus Marforum Dux*, propinquo loco defossam *Varianae Legionis Aquilam* indicat. Quæ autem finitè loca intra *Westfaliam* incoluerint *Marfi*, incertum. Sunt qui inter *Paderbornam* & *Monasterium* collocent secundum *Luppiae* ripam. Malim ego *Marfos* collocari in *Osnabrugensi* *Diocesi*, simulq; in *Teclenburgensi* & *Benthemensi* comitatu. Quippe *Germanicus* cum ex castris veteribus, & ab *Rheno* moveret cum legioni-

*Tacit. lib. 2.
Ann. c. 25.*

bus,

bus, non illud rectum & tritum iter tenuit per Bructeros secundum Luppia ripam, quod in Alifonem & locum Varianæ cladis perducit, sed deflexa longiore per circuitum via in Marfos contendit. Sanè ob gentis vetustatem venerationemq; celeberrimam apud illud Marfos Tanefanæ templum fuit. Uterq; comitatus celebris antiquitatum vestigijs; in altero *Tecelia*, nunc comitum Teclenburgienfium arx: *Ptolomæ.* in altero vetustissimum fanum, & grande Drusi Saxum, monumentumq; vetus. Nam in ejusmodi montibus ac lucis simulacra & delubra barbarorum superstitione culta, sacrificia dijs peracta, dona votaq; oblata, signa militaria, quæ hosti detraxerant, suspensa. Hoc gentis ritu Eresburgenfè fanum, & Martis simulacrum, in adversis Teutonicorum montium finibus constitit. Grande etiamnum Saxum senis fulcris innixum haud procul Osnabrugo visitur, in luco & colle, gentilium sacrificiorum ara, uti creditur, fracta post, ut perhibent, à Carolo M. Nec procul inde ad Frisiorum fines *Marsatij*, à Plinio locantur; & *Marsaci* à Tacito, Marforum fortè propago, omnes in humidis circum & virentibus locis, quæ voce prisca hodie dum incolæ *Mersch* appellant. Eò tam propinqua armorum conjunctio ex iisdem Teutonicis montibus Marfis esse licuit cum Arminio, ad Visurgim se armanti, evocantiq; belli socios.

Cœteræ jam minores gentes, nec ita celebres, ut *Tubantes*, quos *TUBAN-* *TES.* Martianus Frisiæ populis accenset: passim *Tvrentijs* in Transisulania Tubantum nomen & sedes adscribunt. *Tubantes* certè Tacitus Marfis & Bructeris confines scribit: Quippe *Marforum clade exciti Bru-* *Tacitus lib. 1. ann. c. 51.* *eteri, Tubantes, & Usipij* viciniore populi. *Dulgubini* adhæc primum ad Visurgis ripas confedere in Teutonicis montibus. Tacitus enim: *Tacitus de Germ. mor. 6. 34.* *Angrivarios et Chamavos à tergo Dulgubini et Chasuarij cludunt, aliæq; gentes haud perinde memoratæ:* ac postquam Chamavi, Angrivarij; submotis trans Luppiam Bructeris eorum loca occupavere, *Dulgubinos* in horum sedes immigrasse verosimilius est. Haud multum dissentit Ptolomæus: *Inter Chaucos majores et Suevos sunt Angrivarij, dein Lacobardi sub quibus Dulgubini, seu Dulgumnij, gens minùs clara bellis, licet cum Angrivarijs pugnando regionem Bructerorum invaserit, à quibus Dulmanix oppidum nominis sui originem referre volunt.*

Chasuarij qui ab alijs *Chassuarij, Chattuarij et Cattuarij* vocantur, *CASSUA-* *RII.* *CHATTUARIJ.* pars Cattorum clienteq; censentur. Quippe *super Suevos, seu Cat-* *Tacitus de Germ. mor. Strabon. lib. 7. Tacit. lib. 13.* *tos, sunt Casuarij* Ptolomæi testimonio, credunturq; magnam partem diœcesis Paderbornensis, & Corbeienfis à finibus Hassorum secundum Visurgis ripam habitasse, ut vel inde Tacitus scripserit, *Chancorum gentem in Cattos seu Cassuarios hosce sinuari.*

Chauci, quos et *Cauchos, Caucosq;* appellari legas, valida per id *CHAUCI.* *lib. de mor. Germ. c. 35.* tempus gens ac lata, quemadmodum Tacitus descripsit: *Chaucorum gens, quanquam incipiat à Frisij, ac partem littoris occupet, omnium quas ex-*

posui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usq; sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent: Populus inter Germanos nobilissimus: ideo in Majores & Minores divisus. Plinius lib. 16. c. 1. nius certè: sunt verò in Septentrione visæ nobis gentes Chaucorum, qui Majores Minoresq; appellantur. Ptolomæus verò in Germania: Loca verò juxta Oceanum supra Bructeros tenent Frisij, usque ad Amisiam amnem; post hos Gauci Minores ad Visurgim omnem, deinde Chauci Majores ad Albi usque flumen. Quos universim comprehendunt Episcopatu Bremensi, Frisia Orientali, Comitatu Oldenburgensi, Delmenhorstensi, Dipholtensi, & Hojensi cis Visurgim, inde ab Hamburgo usq; Albi flumine à Fosis seu Saxonibus separati.

ANSI-
BARI II. Superfunt Ansibarij, inter veteres Westphaliæ incolas multis scriptoribus memorati: qui nunc Ansibarij, nunc Ampsvari, appellantur: Primum valida gens non modò suâ copiâ, sed & adiacentium populorum. Clarus eorum dux Bojocalus, quòd per quinquaginta annos in Romanorum castris militavit. Gens primum exacta sedibus, & variâ fortunâ jactata, excisaq; propemodum: post revalescens, auctaq; inter Bructeros, arma etiam Romanis intentare ausa est: nam Rheno transmissa regionem subito pervasit Francorum, quos Ampsvarios vocant, inquietum hominum genus, quod extrema adeo Galliarum percursaverat; hos insultantes populos Julianus Cæsar bello repressit, ac pacem petere adegit. Marcell. lib. 20. Sedes horum non una semper fuit; postremum apud Bructeros consedere, ut ex notitiâ Imperij, Gregorio Turonensi, & Marcellino constare potest. Reperio, qui inter Bremam & Mindam collocent ad ceteriorem Visurgis ripam, extendantq; ad Amasim; ut vel ab Amasis fluvio, quorum accolæ fuere, Ampsvariorum nomen traxisse dixeris. Illud hic perillustre à Marcellino monstratur, originem videlicet & regionem Francorum non alibi, quàm in Westfalia quærendam esse: ubi Bructeri, ubi Ampsvari, ubi Sicambri, ceteriq; populi, Greg. Turon. l. 2. c. 9. quos hætenus percensuimus, nativum solum habuere. Ambronesne inter hos Westfaliæ populos recenseam, quos quidam ex Paderbornensi agro deducunt, eoq; ita appellatos volunt, quòd ad Ambram fluvium habitarent, referam bello Cimbrico: in quod Teutones & Ambrones pugnacissimæ gentes convenerint.

§. Hæc de priscis Westfaliæ gentibus, eorumq; sedibus paucis præmonere visum: quas si minus ad cujusq; judicium attigerimus, meminerit ille, ne priscos quidem scriptores, Romanos juxta ac Græcos in his usquequaq; convenire; nec certos ac stabiles singularum sedes perferri potuisse, quòd Nomadum instar, ut rectè de Germanis hisce Strabo monuit, vixerint: qui casas ad unius diei usuram struxerint, eoque commigrarent, quò aut belli impetus raperet, aut intestini motus, validioresque populi per arma compellerent. Illud magis demirari subeat, tot bellicosas olim gentes hanc incoluisse provinci-

am

am (quam paludibus, Sylvis & saltibus, cultuq; terræ informem dixē-
re) atq; adversus tot Romanorum bella, invicti instar regni defendisse.

Hi nimirum illi populi, hæ sedes singulorum, hæc illa inter Rhe-
num & Visurgim regio, tanta hominum multitudine semper redun-
dans, ex quâ tanquam ex fœcundo sinu terræ, aut ex equo Trojano
toties armata Martis pubes producta. Hæc illa inter Rhenum & Vi-
surgim Germaniæ regio, quæ post vetus *Francia*, & *Saxonia* dicta: in Westfalia
quam primùm vis bellica Romanorum tanquam in murum & val-
lum interioris & magnæ Germaniæ incubuit. Enim vero si quis ab
exordio bella Romanorum cum Germanis revolvat, intelliget is, vallum in-
terioris Germa-
niæ, &
procrea-
trix belli-
colorum populo-
rum.
omnes Romanorum exercitus intra Moguntiacum & castra Vetera,
aut Rheni divortia in hanc regionem traductos: præter eos exerci-
tus, qui per mare in ostium Amasis & Visurgis classe invec̃ti fuerunt.
Hic Martis campus, in quo toties Romani Germanique exercitus
cruentis inter se armis concurrere; nunc victores, nunc victi Ger-
mani, nunquam domiti. Quoties exhausti spolijs & vastationibus in-
colæ? Quoties ferro flammaque sævitum? Quoties, nullo ætatis
sexusve discrimine, alia post aliam gens excisa? Translati in aliam
Rheni ripam ex sinu regionis *Sigambri*, fortissima bello gens, cum in
sedibus suis debellari non posset: distracti per castra Romanorum &
Provincias captivi Cattorum, Tencterorum, Bructerorum, Angriva-
riorum, cæterorumque populorum; at novâ semper belli sobole re-
nascente, tanto formidabilior una post aliam gens se extulit, quanto
arctius pressa & proritata fuit: Libertatis retinentissima, & servitutis
impatiens, quâ Germanos suos fratres trans Rhenum Gallosque pre-
mividebat. Rhenus, quem Imperij limitem habuere Romani, pri-
mùm à Druso quinquaginta castellis præmunitus est: auctus de-
mum hic Imperij limes castellorum, oppidorum, urbiumque muni-
mentis, & tanquam murus turribus ac propugnaculis suis adversus
Germanos obfirmatus fuit: imposita militum præsidia, addita legio-
num castra & hiberna, traducti tot exercitus in hanc unam regio-
nem; nunquam tamen certum firmumve potentiæ pedem figere
licuit; solæ quas memoravimus Westfalix gentes impetum Roma-
norum sustinere, toties oppugnatae fractæq;, expugnatae nunquam.
Ex quo universa Italia in potestatem Romanorum venit, Sicilia, Sar-
dinia, Corsicaq; primùm in provincias descriptæ sunt; transectum
deinde per maria Imperium Romanorum, intraque ducentos annos
Asia, Africa & tota propemodum Europa cum orbe terrarum sub-
acta; nunquam hæc Germaniæ pars. Florus lib. 2.
c. 1. Lego apud Rufum Festum
omnes Romani Imperij Provincias, in quas tum orbis divisus fuit: Rufus Festus
in Breviar.
nullam Germaniæ ulterioris uspiam reperio provinciam. Citò His-
pania sub initio Imperij à Romanis domita; citò Gallia, intraq; quin-
quennium à C. Julio Cæsare devicta; seu ut Rufus Festus perhibet,

decem legionibus per octo annos ab Alpibus ad Rhenum usque Gallias subegit: citò simul utraque Cis rhenana Germania, Belgiumque cessit in provinciæ formam; seriùs aliquanto Britannia, nec unquam tamen tota in Romanorum potestatem venit; serò Pannonia in duas provincias subacta; Illyrium in septendecim provincias divisum; promotisque trans Danubium armis, Dacia à Trajano Cæsare debellata: trans Rhenum nulla pars Germaniæ in eam servitutem venit. Primùm Augustus Cæsar adultâ Republicâ, & confirmatâ per orbem terrarum Imperij potentiâ, Germaniam in provinciæ formam redigere aggressus est. Et quantâ belli mole, Druso Tiberioque ducibus, id pertentatum? quòve belli impetu, quâ affectatione *Germanici* nominis id Germanicus molitus? At brevi furor ille retusus, dum Claudius Cæsar tanquam desperatis rebus legiones trans Rhenum revocaret. Excepere inde alij Cæsares subigendæ Germaniæ bella ad Probum usque: qui cùm in hoc opere frustra defudatum videret, diceretque deinceps incassum bella proferri, nisi Germania more aliarum regionum in provinciæ formam redigeretur, varia in hanc rem adhibuit: sed & ipse conatu suo est delusus. Continuata inde bella multo acriùs, postquam eadem gentes in Francicum & Saxonicum nomen transiire. Quæ non per Constantinum M. Julianum, Theodosium, Honorium, ceterosque Imperatores susceptæ expeditiones? nec tamen unquam omnibus illis Cæsarum bellis, quibus supra quadringentesimum annum decertatum cum Germanis, vel hæc una Westfalica regio intra Rhenum & Visurgim in tributum, & Provinciæ formam sese subigi passâ est. Tot nimirum Germaniæ superioris & inferioris, tot Belgicæ simul utriusq; præsides, uti hos scriptores annalium docent: Et quis unquam in Germaniâ trans rhenanâ vel præses, vel præfectus, vel legatus constans? satis nimirum Romanis erat limitem rheni tueri, ne Germani toties Galliâ affectantes, toties irrupentes imperium convellerent. *Protulit magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraq; veteros terminos imperij reverentiam*, quemadmodum Tacitus gloriatur: sed fluxo & brevi excusso imperio. Gens libera Germani, quæ nunquam jugum illud Romani imperij passâ; belliosa natio, quæ sola prope se Romanorum armis invictam servavit. Quod tam æquo animo cæteræ nationes patiantur, quam in hoc eminens est Germanorum nostrorum gloria, qui reflexis primùm armis per Francos (Westfalica videlicet populos) deinde per Saxones imperium Occidentis ad se traxerant. Tanquam præfagium quodam fatoque suo invicti tot Cæsarum Romanorum bellis, ut ipsi aliquando vincerent eos, à quibus orbis terrarum victus erat. Sed nobis hæc bella Romanorum cum gentibus intra Rhenum & Visurgim tantummodo proposita: quæ tanto æquius sibi vendicat Paderborna, quanto ad hanc rem convenientius Carolus M. hanc Dioccesin circum Luppiæ

Tacitus de
Germ.

Luppiae & Amisiae fontes in medietate Westfalicae intraque Cattorum, Cheruscorum, Sicambrorum, Brueterorum, Angrivariorum, caeterarumque bellacium gentium fines descripsit; quantoque illustriora apud nos sunt horum bellorum monumenta, quae Ferdinandus Episcopus & Princeps eleganti carminum inscriptione, & eruditae commentationibus posteritati consecravit: Enim vero hic *Alifonis* castellum à Druso per initia belli positum; hic castra Drusi, Tiberij, Germanici Caesarum, & Vari consulis; hic *Luppiae* & *Amisiae* fontes, & flumina toties alterno Romanorum & Germanorum sanguine decolorata; hic saltus Teutoburgiensis, Varianae clade, caesis legionibus, amissis aquilis celebratus; hic ab Rheno ducti per humentia paludum *pontes longi*, & viae militares ad Castellum castraque Alifonis; hic Visurgis terminus Romanorum armorum, quem Domitius quidem aliquando transgressus, Drusus mox fatalem habuit. Hic, ut verbo absolvam, belli sedes fuit. Ac tametsi recepto castello Alifonis, disiectisque castris, Romani ex hac sede belli tandem depulsi sint; gentes tamen eadem, quibus cum ceteris Romanorum Imperatoribus protractum bellum fuit, hic apud nos & vicinis circum regionibus sedes tenuere: ut tametsi longius aliquanto narratione abire videamur, ex una tamen armorum societate gentiumque conspiratione, quibus commune semper bellum fuit adversus Romanos, propria, nec aliena multum relaturi simus. Et sicubi extra Dioecesis orbitam progrediamur, non tamen extra Westfaliam. Dabunt hoc eo mihi liberius, quod nemo adhuc, quantum observare licuit, bella praeursorum populorum, qui hanc Westfalicae regionem incoluerunt, continenti narrationis ordine perscripserit. Non mores & vitae inter barbaros institutum; non deos cultos, ritusque superstitionis; non vitia & virtutes harum gentium memorabo: seu quod haec cum alijs Germaniae populis communia habuerint; seu quod Tacitus & Caesar, & innumeri nostra aetate scriptores ea suis commentariis tradiderint. Bella tantum referemus: vel eo magis, quod vita omnis Germanorum, in venationibus atque in studiis rei militaris consisteret, ac fortissimus quisque et bellicosissimus non nisi arma tractaret: delegata domus, agrorumque cura feminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familia. Quanquam & per vices pars agriculturae relicta, pars in militiam ducta; si Civitas in qua orti sunt longa pace et otio torperet; plerique nobilium adolescentium petebant ultrò eas nationes, quae tunc bellum aliquod gerebant; quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescerent. Nec mulier extra virtutum cogitationes et bellorum casus ducta; quippe dos et munera, quae non uxor marito, sed maritus uxori offerebat non ad delicias muliebres quaesita, sed boves et frenatus equus, et scutum cum framea gladioque; ut ipsis incipientis matrimonij auspicijs admoneretur, venire se laborum periculorumque sociam; idem in pace, idem in praelio passuram, ansuramque: haec Tacitus. Ad quae ad-

Caesar lib. 6.
com.
Tacitus de
Germ. mor.

Seneca l. 1.
de ira c. 11.

mirabundus Seneca: Germanis quid animosius? quid ad incursum acris? quid armorum expertius? quibus innascuntur, innutrienturque: quorum unicuique illis cura est, in alia negligentibus. In universum hæc si quis æstimet, omnis Germanorum vita militiæ studium, perinde ut gens læta bello omnem fortunam & gloriam in armis reponebat. Nec tamen ita inculta Germania, ut informem terris, asperam cælo, tristem cultuque aspectuque, aut desertam agriculturâ Tacitus proponit. Unde enim tanta hominum multitudo? unde tot exercitus post iteratas clades? unde tot vici, quorum supra quadringenta millia intra Visurgim & Rhenum uno transitu exussit Maximinus Cæsar? Sed nunc hæc bella ab exordijs memoranda.

Lampridius
in Maximo
Herodian.

Populi ad
bellum
Cimbri-
cum con-
fluentes.

Plutarchus
in Mario.

Florus lib. 3.

Velleius.

Strabo.

Livius in

Epitome.

Eutropius.

Cæsar de

bello Gall.

Orosius

Quint. decl.

1. 1. 1.

Valer. l. 5.

Frontinus.

Cicero Tuscul.

Q. lib. 1.

Juvenalis

Saty. VIII.

Appian. lib.

de bell. Illyr.

Plinius l. 4.

c. 1. 4. Mela.

l. 3. c. 1. Pro-

tomæus.

Strabo l. 7.

Primum, de quo nobis certa scriptorum fide constat, bellum est *Cimbricum*, quod una Cimbrorum & Teutonum Societate est gestum. Utraque Germanorum antiquissima gens; & Teutones tanto sibi magis vendicant Saxoniarum annales, quanto certiùs Teutonicimontes clade post variâ celebres intra Westfaliam, & late per hanc Diocesisin Paderbornensem exporrecti conspiciuntur. Hic proinde Teutones incolæ potissimum quærendi, quibus ab ipsis montibus nomen Teutonum adhæsit, quosque bellum *Cimbricum* simul tam celebres fecit. Atque id tum nomen genti harum regionum tam commune, quàm Celtarum olim fuit, antequam Catti, Sicambri, Tencteri, Bructeri, cæteraque distinctarum gentium nomina audirentur: credunturque hoc Teutonum nomine, qui cum Cimbris hoc bellum gessere, contineri Germaniarum populi inter Albim, Visurgim, ac Rhenum: quorum Rex *Theutobochus* refertur. Nec Plinius, Mela, Ptolomæus, alieni. Vestigia Teutonum his in locis monstrari supra retulimus. *Cimbri*, (qui & à priscis *Celto-Schytae*, ab Appiano *Celtæ* appellantur,) ex sinu Oceani Germanici, & peninsula *Cimbrica*, (quæ nunc *Futia* nomen obtinet,) progressi: supra hos Saxones coluere; interque Cimbrorum & Saxonum provincias vetus Anglia monstratur; ex qua gente prodire, qui cum Saxonibus & *Uitis*, (seu ut alijs placet *Futis*) Britanniam occuparunt. Hi populi nomen Angliarum regno reliquere, quæ expeditio nobis tempori memoranda: adeo fecundus semper hic Septentrionalis populus, ex quo tot gentium migrationes à prima statim origine celebrantur. Ac *Cimbri* quidem in hanc, de qua agemus, expeditionem convenisse perhibentur maris eluvione, qua magna pars peninsulae mari proxima est obruta submersaq;. Veriti superstites ac confines, ne & ipsi aquis absorberentur, novas sedes toto orbe vagi quæsiere. Quanquam quæ de diluvio illo Cimbrico, & emigrandi causa referuntur à Floro, & tanto recentium scriptorum numero excipiuntur, vereor ne multum fabulis aspergantur: quando Posidonius, & Strabo hæc dudum explosere. Et *Cimbri* è suprema clade superstites reversi in peninsulam suam, lebetem post, quem

quem facerrimum habuere; dono miserunt Augusto Cæsari, amicitiam populi Romani, & oblivionem præteritorum sollicitantes. Ut jam Strabo hanc Cimbrorum emigrationem certiùs retulerit ad redundantem domi hominum multitudinem, apum instar quotannis novos foetus, examinaque procreantium, ac novas sedes quærentium; quod gens sibi insitum usitatumque habuit. Certè Teutones, qui in hanc belli societatem venerunt, nullà oceani exundatio extraxit: sed aut domi onerata multitudo, aut bellandi prædandique libido. Et Romani primùm ex eo didicere Cimbro esse Germanorum populum, quòd apud eos Cimbri prædones dicerentur, qui ad Septentrionem incoherent. Utcunque se emigrandi causæ habeant, innumera profectò hominum multitudo, Teutonum ac Cimbrorum, quæ supra xxx. Myriades à Plutarcho censetur, egressa ex suis sedibus, per multos annos oberravit, & majorem Europæ partem victorijs est pervagata. Per hyemem quieti in occupatis bello provincijs, vere novis semper militum copijs & supplementis aucti, qui aut submittebantur, aut illecti ultrò ad famam progressumque suorum sequebantur: homines proceris corporibus, artibus robusti, audacia ad omnia prompti, celeritate & bellandi virtute formidabiles; ac fulguris instar regna percurrentes, quocunque impetu ferebantur, armis sibi patefecere viam: tanquam Europæ Imperium prædatorius exercitus humeris suis circumferret. Non tamen adeo barbari, quin sacerdotes suos castra sequi vellent, & pro ritu gentis Deos sacrificijs colerent. quippe pro libertate & sacerdotio servando, post extremam cladem acceptam, sollicitæ etiam uxores memorantur: quæ vana & sævâ superstitione castra simul secutæ, albo vestitu, cinctu æreo, & pedibus nudis fatidicas se tulerunt. Harum barbarus mos per castra discurre, captivos strictis excipere gladijs, humi prosternere, & ad craterem pertrahere. Tunc vates, conscenso pulpito, incidere super lebetem captivi guttur, & ex profluente sanguine vaticinationes captare: mox ab alijs reliquorum cadavera scissa, inspectaque intestina; è quibus aut læva, aut fausta enunciabantur. Ubi ad prælia itum, aderant & Vates: pellesque, quas tympani in modum prætenderant cratibus curruum, barbaro ac Martio sonitu pulsabant. Par uxorum mulierumq; castrensium supra sexum fortitudo, viris adæquata; quales Tacitus memorat inter Germanos, quæ cibos et hortamenta pugnae gesserint: quæque inclinatas et labantes sæpe acies restituerint, constantiâ precum, et objectu pectorum. Tales nunc hic primùm Cimbrorum, Teutonum, & Ambronum castra exhibent, quemadmodum hæc à Plutarcho alijsque memorantur.

Quintil.
Decl. 111.

Strabol. 7.

l. de mor.
Germ. c. 8.

Sexcentessimum et quadragessimum annum agebat urbs Romana, inquit Tacitus, cum primùm Cimbrorum Teutonumq; audita sunt arma, Cacilio, Metello, et Papirio Carbone Coss. Versabantur tum Cimbri & teu-

An. Urb.
c. DCXL.
&c. ante
Christum
112.

NB. Hic an-
nus ante
Christum ex
illorum est
Sententia,
qui volunt
Christum
natum An.
V. C. 751.
25. Dec.
Alij paulo
aliter senti-
unt.
Tacitus de
Germ. c. 37.
Beillum
Cimbricū
& Teuto-
niciū, quo
Cæsi Ro-
mani cum
Carbone
Cof.
Cæsar lib.
VII.
An. V. C.
DCXLIV.
Ante Chri-
stum 108.
Florus lib. 3.
c. 5.
Epit. Livij
lib. 65.
Salianus.
Sigonius.
Altera
clades
Romano-
rum, Cæ-
so Cof.
Silano.
An. V. C.
DCXLV.
Ante
Christum
107.
Velleius l. 2.
Tertia co-
rundem
clades Cæ-
so Scauro.
Cof.
An. V. C.
DCXLVI.
Ante
Christum
106.

& Teutones cum exercitu volatili in Illyrio, quæ provincia tunc Car-
 boni consuli obvenerat propugnanda. Is cognitâ Barbarorum in-
 cursione, & prædandi quâ latè grassabantur libertate, Romanum in-
 eos movet exercitum, confidentiùs quàm cautiùs; nondum enim
 ante eum diem Germanorum arma experti erant. Carbo præceps ira,
 arma & signa inferri jubet, congressusq; prælio, foedâ Romanorum
 strage, ad Noricum funditur. Quæ postquam perlata sunt Romanis,
 haud leviter trepidatum, inquisitumque in Cimbros, quam imma-
 nem gentem rumor attulerat, ut jam in Italiam transcens Alpibus
 perrupturam. Posteaquam Germanos didicere, creditumque est,
 prædones esse, quod Germanorum linguâ Cimbri prædones diceren-
 tur, neglectiùs habuere hostem. Et quæ arma expedirent in gentem
 vagam, & tot hospitia quotannis mutantem, quot provincias victri-
 cibus armis peragraret? Eò tunc liberiùs Teutones ac Cimbri nubis
 instar in Galliam effusi, omnia latè armis & spolijs occupavere. Galli
 tantæ hominū multitudini ac potentiæ impares, in munitiora se op-
 pida & tutiora loca recepere, ac nihil simile huic bello, neque mayo-
 rem ante calamitatem experti, hosti regnum deprædandū reliquere.
 Quarto demum, ab Illyricæ cladis anno, M. Junio Silano
 Gallia demandata. Is provinciâ ingressus, Gallorum tutelam suscepit.
 quo cognito, Cimbri & Teutoni legatos ad Silanum consulem in ca-
 stra, simulque ad populum Romanum mittunt, postulatū, ut Sena-
 tus populusque Romanus sibi aliquam terræ partem quasi stipendi-
 um daret: cæterum uti vellent, eorum manibus atque armis uteren-
 tur. Id cum negaretur, armis petere constituunt; promotisque in
 Romanos castris atque armis, in Silanum consulem prouunt; qui
 cum ne primum impetum sustinere posset, turpiter cæsus est, & in
 fugam actus. Magnarum id calamitatum fuit initium. Silanus con-
 sul rei malæ gestæ postulatus in iudicium, tanquam injussu populi
 Romani pugnasset cum barbaris. Altero mox anno in Silani locum
 lectus consul M. Aurelius Scaurus, missusque in Galliam adversus
 Cimbros & Teutones. Neque is fortunatior fuit. Magnis quidem
 ille animis signa intulit; sed amisso consulari exercitu, tertiam cla-
 dem mox funestiorē accepit. His irritati Romani majoribus quàm
 antè viribus, exercitum reparant: & proximo statim anno in locum
 Scauri L. Cassium consulem subrogatum mittunt in Gallias. Sed is
 belli exitus multò calamitosior quàm annis superioribus; cæsus enim
 consularis exercitus in finibus Allobrogum: consul ipse infidijs cir-
 cumventus occubuit: interfectus Lucius Piso vir consularis, & quin-
 tus Publicius alter Legatus. Ac ne residua pars Romani exercitus de-
 leretur, jussi sunt Romani obsides dare, & turpissimo foedere, quo
 pars dimidia bonorum hosti cederet pacisci: Missi etiam ad ignomi-
 niam

Cæsar lib. 1. de bello Gall. Epit. Liv. l. 65. Orosius l. 5. c. 16. Tacitus de mor. Germ. Cæsar lib. 1. de bello Gall.
 Quarta Romanorum clades, cæso Cassio consule cum exercitu.

niam cladis sub jugum populi Romani milites. Scio hanc victoriam ab Orosio, atque eò, qui Livij compendium dedit, solis Tigurinis attribui, quos ob id C. Julius Cæsar post ultus sit: sed Tacitum si quis consulat, intelligetis Cassium non minus, quàm superiores consules à Cimbris, Teutonisq; cæsum: Tigurinis verò adscriptam victoriam, quòd in unam belli societatem adversus Romanos Germani Helvetijque per id tempus convenerint. Quæ sanè conspiratio sequentibus annis haud minus exitialis populo Romano fuit. Quippe post cædem Cassij consulis, Quintus Cæpio consul Galliam provinciam fortitus, bellum ingentibus animis adversus Tectosagos sumpsit, quòd ad Cimbros defecissent. Sed nihil memorabile hic consul gessit, nisi quòd captâ Tolosâ templum Apollinis spoliavit; & centum ac decem millia pondo auri, argenti verò quinquies decies centum millia sacrilegus in prædam dederit; cujus sceleris vindices anno proximo expertus Cæpio. Hærebant adhuc in visceribus Galliæ Cimbri & Teutones, tam infesti Romanorum quàm Gallorum provinciis, quas in extremam inopiam, famem, & vastitatem coniecere: quemadmodum id Critognatus Avernus post questus est apud C. Julium Cæsarem. Quare accensis animis, altero mox anno Romani Cnejum Manlium consulem dicunt, & Cæpioni militare imperium prorogant, utrumque cum duplici exercitu in Galliam mittunt. Pervenire ad Rhodanum usque flumen consul Manlius, & proconsul Cæpio, castris ad utramque ripam positis. Tantò nunc conjunctius & ardentius Cimbri, Teutones, Ambrones & Tigurini Germanorum Gallorumq; gentes conspirant in Romanos: & quia invidiâ & æmulatione dissidebant consul & proconsul; Germani Helvetijque unâ conspiratione armorum signa inferunt, & pridie Nonas Octobris conferto prælio utrumque Romanorum exercitum fundunt, cæduntque ad internecionem. Castris uterque Imperator exutus: strages, an ignominia scædior, incertum. Cæsa octoginta millia Romanorum sociorumq; calorum ac lixarum quadraginta millia; Marcus Aurelius Scaurus consularis captus: & cum in consilium à Cimbris evocaretur, deterreretque eos, ne Alpes transirent Italiam petaturi, eò quòd diceret, Romanos vinci non posse, à Bolo eorum Rege, ac feroci juvene occisus est. Cæsi duo consulum filij, multiq; senatorij ordinis viri, vix deni servati, qui nuncium cladis Romam referrent. Quæ postquam renunciata sunt Romam, urbs planctu & metu completa est, haud secus, quàm si ex Cannensi clade Hannibal portis urbium immineret. Inde ad Salustij ætatem persuasum fuit Romanis, *alia omnia virtuti suæ prona esse: at cum Gallis et Germanis pro salute, non pro gloria certari.* Ita omnis ira in Cæpionem versâ; raptusque consul in carcerem inter vincula expiravit. Dies cladis Allienfi non absimilis, inter nefastos relatus, indictum justitium, armata juvenus, delectusq;

tota

Tacitus de moribus Germ. An. V. C. DCXLVII. Ante Christum 105. Justinus. Gellius l. 43. Strabo l. 4. Orosius. Tacitus de Germ. Florus lib. 3. c. 3. Cæsar l. 7. de bello Gall. An. V. C. DCXLIII. Ante Christum 104. Val. M. Manilius. Tacitus. Livius in Epit. Eutropius. Orosius. Plutarchus in Lucull. & Camillo. Salust. Bello Jugurthino. Quinta Romanorum clades, cæso Manlio consule & Cæpione proconsole ad internecionem.

An. V.C. tota Urbe & per Italiam est habitus, nulli vacatio à militia concessa,
 DCXLIX. vota Jovi Solemnia facta. *Actum erat*, inquit Florus, *nisi Marius*
 Ante *illo saeculo obtigisset*; aut Germani, aut Tigurini (qui & Hanniba-
 Christum lis error fuit) victoriâ uti scivissent. Rarò magnæ fortunæ capax mor-
 talium animus: & plerumque in medio cursu armorum fata incidunt
 Val. Max. l. telam Cimbri post reportatam tam insignem victoriam, vastatis quæ
 6. c. 11. inter Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltus & juga montium in
 Hispaniam transgressi, non aliud istic memorabile edidère, quàm ut
 An. V.C. provincias diriperent. Nec multò post repulsi à Celtibêris in Gal-
 DCL. & LI. lias redierunt: alteroque demum anno se Teutonis conjungere, unâ
 Ante armorum conjunctione in Italiam irrupturi. Interea Mario, qui à bel-
 Christum lo & triumpho Jugurthino renunciatus erat Consul, spatium est da-
 102. & I. tum armandi Romam. Vir eo tempore acer bello, & clarissimus
 Imperator, quocum scena Martis commutata, & fortuna Cimbrorum
 Teutonumque telam retexere cœpit. Adlectus alter est Consul Q.
 Catulus, bellicâ fortitudine egregius. His viris Galliarum provinciæ,
 & bellum adversus Germanos & Helvetios est imperatum, insum-
 ptumque Mario biennium in apparatu belli. Tandem bipartito
 uterque Consul instructissimoque exercitu processit: quod Bar-
 bari diviso exercitu & diversis vijs in Italiam perrupturi, se jam com-
 movisse nunciarentur, & Cimbri unâ cum Tigurinibus per Noricum
 ingressi iter essent; quibus Catulus Consul objectus. Teutones &
 Ambrones aliâ ex Gallijs viâ per Alpes transituri castra promoverant,
 multitudine infinita, facie & illuvie deformes, voce ac plausu dissoni,
 jam securi victoriæ, incerti fatorum. In hos Marius cum exercitu
 festinatis itineribus movit; prævertitque intra Galliæ fines tardantes,
 castris ad Rhodanum fluvium positis; quæ cautus Imperator magnis
 operibus repente præmunijt. Haud procul Teutones & Ambrones
 castra sua posuerunt, Mariumque provocaverunt ad prælium: quod
 cum ille detrectaret, Barbari castra Marij magno furore oppugnant.
 Cumque infuso telorum imbre convitijsque nequaquam extrahe-
 rent: sub vallum Romanorum castrorum, & ipso in conspectu Marij
 transeunt, iterque in Italiam prævertunt. Tanta hominum barbaro-
 rum multitudo fuit, ut sex ipsos dies continuo motu exercitus in-
 sumperint, priusquam ultima agminis præterveherentur: tam certa
 Italiæ capiendæ fiduciâ, ut per risum inclamaverint: siquid uxoribus
 suis Romam mandatum vellent, id sibi committerent, brevi enim se
 ipsis hospites adfore. Marius ex adverso itinere infecutus, castris pro-
 pè hostium castra collocatis, & vallo per diem noctemque obseptis.
 Perventum est ad aquas Sextias propius Alpes: ibi Marius conspectâ
 pugnæ opportunitate, & quod Ambrones à Teutonis disjunctos
 fors belli obtulisset, singulos adoriendos censuit, quò vinceret omnes.
 Et locus favebat, in quo plus sæpe momenti, quam virtute militari.

Interim

Ambro-
num cæ-
des.

Interim Romani milites horrebant cum bellicosâ gente, & tot victorijs inflatâ congregi, fitisq; vexabat inopiâ aquarum: tanto incitatio-
 Marius pugnam urgebat, fluvium monstrans propè hostium castra:
 si viri, inquit, estis, en illic habetis, ex quo sanguis prius hostium bi-
 bendus, quàm aqua. Ita inflammatis militum animis magno utrinq;
 ardore pugnatum est. Ambrones non alio hortamento se incita-
 bant, quàm nomen suum tanquam gentilem virtutis tesseram incla-
 mando. Idem Ligures faciunt, qui primi in Romanâ acie pugnabant.
 Post acre & cruentum certamen superati, actique in fugam Ambro-
 nes ad castra se recepere. Hic uxores, & castrorum mulieres, bellico-
 sâ illâ Germanorum Amazones corripere arma, fugientibus viris
 prodire obviam: atque ut aliæ gladios, aliæ secures, aliæ alia obvia
 quævis belli instrumenta nactæ, modò fugitivos repellere in pug-
 nam, modò ipsos hostes ferire, & prælium redintegrare. Et quia in
 vesperam protraheretur pugna, quam mulieres stiterant, Marius re-
 ceptui cani iussit, non ausus castra aggredi. Nox insequens, etsi victo-
 res, in magnâ tamen trepidatione Romanos habuit. Nam qui ex Am-
 bronibus ad vicinos montes sparsi confugerant, horribile clamore &
 ululatu fauciarum & frementium bestiarum instar personabant.
 Romani qui intra castra se continebant, rati has voces esse vindictam
 spirantium, insomnem & turbulentam habuere noctem. At Marius
 jam edoctus vinci posse, qui hæctenus invicti fuerant, bono animo
 iussit esse milites, & curare cibo somnoque corpora. Orto die, ca-
 stra sua castris Teutonum admovet. Teutones etsi Ambronum clade
 non nihil perculsi, instructi tamen acie prodierunt. Continuit eo die
 Marius suos, veritus rem prælio committere: tanta nimirum Teuto-
 num erat multitudo, & certa pugnare, si Romani auderent. Itaque
 Marius ab arte & ingenio petendum ratus, quod viribus diffidebat.
 Claudium Marcellum cum tribus selectis militum millibus per avia
 & inobservata montium juga circumire jubet, atque ex insidijs sur-
 gere, à tergo se hosti ostentare, irruereque, si prodirent. Quod ubi
 Marcellus fecit, & Teutones in compositi proruunt, repelluntur à Ro-
 manis. Simul Marius à frontè, ut convenerat, signa intulit, ordines
 Teutonum disjicit, cæditque. Teutones utrinque turbati, perculsiq;
 in fugam vertuntur. Inherent Romani fugientibus, & immani stra-
 ge, quæ fidem propè superat, Barbaros fundunt. Plutarchus truci-
 datorum captivorumque numerum decem Myriadum censet; Livius
 ducenta millia cæforum, nonaginta millia captivorum scribit; Velle-
 jus amplius xl. millia hostium utroque die cecidisse perhibet, quâ
 clade omnis & vaga illa Teutonum multitudo deleta fuerit, tribus
 tantummodò millibus per fugam servatis. Orosius in quartum diem
 pugnatum scribit, postremoque die in noctem protractum prælium,
 cædendo magis quàm pugnando. Eutropius utroque prælio cum
 Ambro-

Teuto-
num cæ-
des.

Cimbri
per Alpes
in Italiam
pene-
trant.

An. V. C.
DCLII. &c.
Ante
Christum
100.

Ambrosibus & Teutonibus non nisi cc. caesa, capta xxx. millia : quorum magna pars profugerit, Cimbrisque se conjunxerit: adeo scriptores dissident, Romanis sua augmentibus. Ex caesorum postea ossibus Massiliensium Vineæ circumseptæ feruntur; tanta certò strages fuit. *Teutobochus* Teutonum Rex quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum cum fugeret, ascendit, proximoque in saltu comprehensus insigni triumpho spectaculum dedit. Vir enim eximie proceritatis, supra omnia tropæa eminebat. At pulchrius spectaculum pudicitiae dederunt Germanæ mulieres: quæ postquam devictis viris se quoque victas conspexere, consulem adeunt rogatum, liceat sibi inviolatâ castitate virginibus sacris ac Dijs potius servire, quam captivas militum libidini & ludibrijs objici. Quod cum à Romano non impetrarent, parvulis ad Saxa collisis, sese aut ferro, aut suspendio interemerunt. At non his omne bellum confectum erat: supererant Cimbri, qui jam per Noricum, superatis Tridentinis jugis atque Alpibus, in Italiam penetrarant, frigoris magis quam caloris patientes. Quippe mediâ hyeme altissima montium juga per nives & glacies transcenderant, homines seminudi, illuvie deformes, scalis ac scutis subnixi per lubrica & abrupta locorum enitebantur: tantâ simul confidentiâ armorum, ut neglectis etiam, quæ ad usum belli sunt, solo corpore Italiam se debellaturos crederent. Tigurini, qui se Cimbris associarant in Norico substitere, non ausi Alpes transcendere; nec multò post in diversâ delapsi, fugâ ignobili & latrocinij evanescere. Cimbri ad Athesin usque flumen progressi. Quos cum Catulus consul se Alpium transitu prohibere posse diffideret, incertus per quæ claustra Cimbri perrupturi essent, ne exercitum cum periculo dividere necesse haberet, Athesin flumen occupavit, castris castellisque ad utramque ripam positis. His interriti Cimbri castra quoque sua in conspectu Romanorum ad Athesin collocant. Intumuerat tum forte aquis flumen: hic illi ad transitum amnis, non pontis, non navium usum poscunt, sed gigantum instar vicinos tumulos scindunt, dejecta montium præcipitia aggerunt, caesa trabes & ingentes arborum moles in flumen provoluunt, obrutumque ingesta sylva transiliunt. Consternati ad hanc stoliditatem Romani majora castra deserunt; ac ne fugæ ignominiosæ speciem darent, consul raptis aquilis præit, tanquam suis auspicijs duceret, qui turpiter fugiebant, donec remotum ac tutum castrorum locum nactus esset: quanquam multi Romani usque profugerint. Cimbri superato Athesi flumine castella & propugnacula Romanorum occupant: captosque Romanos, quod mirum fuit in Barbaris, liberos dimittunt, Syngrapha etiam addita, cui æreus taurus impressus erat. Inde in patentissimos & uberrimos Italiae campos effusi, captique regionis dulcedine, dum hærent in venetorum agro, qui mollissimus est Italiae tractus, ipsa cœli solique clementia

mentia dissolvi enervariq; coeperunt; Hannibalis indulgentiâ fatoq;, quem Campaniæ deliciae fregerunt. Rectâ si urbem petijssent Cimbrî, grande discrimen illaturi erant. Interea respirare Romani, & Marius, qui Romam accefferat, quinto consulatu ornare: mox Catulo in subsidium mittere. Marius revocatis ex Galliâ copijs, quibus Teutones Ambronesque devicerat, trajectoque Pado, ad Catulum accedit. Quo cognito, Cimbrî tempus pugnae extrahunt, quod Teutones præstolarentur; seu ignari cladis illorum; seu dissimulanter ista habuerint: nam qui denuntiarent, intercepti à Romanis, & ad cruciatum postulati. Interim Legatos mittunt ad Marius, rogatum, velit sibi ac fratribus suis certas sedes permittere. Ad quæ Marius: Quinam illi fratres vestri? Teutones, inquit, legati. Subrisit Marius: & curam, ait, hanc fratrum vestrorum mittite, illi enim jam regionem habent apud nos, & Cimbris dabimus. mox captivi Teutonum reges à Mario producti, quos fugitivos in Alpibus interceperant Sicciani. Quæ postquam renunciata sunt Cimbris, ad arma convolant: iraque & furore conciti, ad castra Marij oppugnanda feruntur: & obruta fuissent, ni diligenti custodiâ præmunijset Marius. Conatu hoc frustrato, *Biorix* Cimbrorum Rex cum paucis suorum ante exercitum obequitans, Marius ad prælium provocat. Marius cum responderet, non esse moris ut Romani ab hostibus capiant consilia belli, hoc tamen gratum præstitit insultantibus Cimbris, quod diem pugnae in patentissimo campo condixerit: quem Plutarchus ad *Vercellas*, Florus ad *Caudium* atque *Athesim* Veronæ flumen collocat. Ingentibus inde animis & extremis viribus apparatus bellum. Catuli consulis exercitus xx. millium numero census; Marij triginta duum millium. Structâ acie Catulus medium belli corpus sortitus: Marius suos in cornua deduxit; quod in ijs maximum victoriæ momentum gloriamq; sibi reponeret. Haud secus Cimbrorum exercitus digestus in ordines, explicatusque in alas suas, quæ spatium xxx. stadiorum explevere. In fronte pedestres fere copiae positæ: Equitatus quindecim millium productus, armis fulgentibus, galeis hiantium animalium, scutis albis, & ferreis thoracibus formidabilis. Plerique peditum bicuspidetelo & grandibus machæris, qualia prisca Saxonum arma fuere, instructi. At Marius, ut militari ingenio pugnaret, nebulosum ventosumque diem nactus, quo pulvis in ora hostium percussus, demum acie conversa ad orientem splendore galearum, & percussu solis perstrinxit oculos Cimbrorum. Pugnatum acerrimo & cruento prælio triduum ante Calendas Augusti: ac nihil molestius afflixit fatigavitque Cimbro, quàm æstivi calores: simul pulvereæ nubes cœcos in Romanorum manus præcipitârunt. Ita Cimbrorum turbati ordines, & major pars bellicosorum virorum cæsa. Stabant interim pedites ad extremum pugnantes: ac ne rumpi posset acies, longis & ferreis

Eorundem Cimbrorum pugna cum Romanis & cædes.

catenis illigârant. Ad ultimum, quia equitatus disiectus, & tota vis Romanorum incubuit, cæsi fugatiq; Magna pars ad castra se recepit, ubi haud levior cum uxoribus, quàm viris pugna fuit. Incluserant illæ se plaustris carpentisq; in modum valli congestis, ex quibus aliæ quasi ex muris & turribus lanceis contisq; depugnabant. Ac primus mulierum furor versus in fugitivos, quos exprobratâ fugâ aliæ in pugnam retrahebant, aliæ viros & fratres interimebant. Cæteræ in repellendis hostibus occupatæ, ne in castra penetrarent, successu supra sexus fortitudinem : nam impetum tamdiu sustinuere, donec legatos ad marium mitterent, peterentque libertatem & sacerdotium; tanquam cum pugnacioribus viris aliquando pristinam gentis virtutem recuperaturæ, & cultum religionis servaturæ. Quod cum à mario non impetrant, suffocatis elisisq; infantibus, ferrum quod in hostes sumptulerant, in se convertunt. Pars mutuis vulneribus concidit, pars ex arboribus jugisq; plaustrorum pependit, mortem servituti & violandæ pudicitiae anteferendo. Cumq; funes deficerent, quibus se strangularent, repertæ, quæ ex resectis crinibus vincula ac laqueos facerent. multæ ultro ad crura bouum & equorum loris se alligando raptatæ exspirarunt. Fuit vesana mulier, quæ binos filios, insertis in colla laqueis, pedibus suis innexuit, unoque secum suspendio enecuit. Barbarum facinus! tanquam matris sit innocentes parere, & nocentes facere ad supplicium. Beleus Rex in acie dimicans inter hostium cadavera occubuit. Sunt, qui duos Reges cæsos, duos captos memorant. Ingens & fatalis Cimbrorum strages! quos inter Teutones in Italiam penetrasse refert Eutropius, & clade involutos. Cæseo prælio cxi. millia, capta lx. millia traduntur. Plutarchus sex myriades captivorum, duodecim cæsorum ausus scribere; cum tamen Eutropio auctore Catulus consul xxxi. tantummodo signa militaria, Marius duo retulerit. Hoc nimirum illud Cimbrorum Teutonumque bellum, tot Romanis & Græcis Scriptoribus celebratum. Hæc factorum fortunæq; vicissitudines; quæ tot cæsis consulum exercitibus parta erant, uno alterove prælio intra annum amittere. Altum interim id vulnus hæsit in animis Romanorum, haud leuius, quàm Gallorum Italiam & urbem olim diripientium: nec tamen nisi ferò admodum ulcisci se licuit adversus Germanos, & vindictâ magis refiectum vulnus, quàm persanatum. Atque hæc ut certa perscripsimus auctorum fide, ita Ambrones ex hoc bello dubij nobis relinquuntur; utrumne Helvetij, an harum regionum populi cum Cimbris & Teutonis in Societatem armorum exciti venerint? certum nomen apud Plutarchum, Dionem, Livium, Strabonem, qui Ambrorum primùm meminere; at nemo ex his satis explicatè gentis originem sedesve consignavit. Nihil Tacitus de Ambronibus, qui accuratè Germaniam nobis tradidit. Nihil quoque Cæsar de Ambronibus, qui Helvetiorum Gallorumque populos

Ambro-
num Ori-
go incer-
ta.

Plutarchus
in Mario.

Dio lib 44.

Strabo l. 4.

Livius in

Epitome.

Reineccius

de Mysa-

rum origine.

pulos descripsit. Reperio auctores, qui ex Westfalia & Diœcesi Paderbornensi deducant, tanquam Teutonum aut Sigambrorum pars fuerint Ambrones. *Ambræ* enim hic fluvius est, ortus intra Teutonicos montes apud nos, & magnam partem Diœcesis Paderbornensis perlabitur, dum in Visurgim se exoneret. Caroli M. castris & Francorum scriptorum annalibus celebratus, à quo *Ambrorum* nomen trahi voluere: quo & gens ipsa se compellavit, tanquam ex se nato exportatoque. Contra alij Helvetiorum gentem censent ab Emme quodam fluviolo Helvetiæ agrum perfluente. Nec Germanam gentem agnoscunt, quòd Cimbri Teutones fratres suos profiteantur, non Ambrones: quanquam Tigurinis sub initium hujus belli desciscientibus Ambrones constantissimi hæserint Teutonis & Cimbris in Societate armorum adversus Romanos fratrum fide, uxoresq; eorum ex Germanarum mulierum indole fortitudinem suam probarint. Libellus quidam itinerum tres memorat Ambras viciniore Alpibus, unam in viâ ex Pannonijs in Gallias; alteram à Lauriaco Veldidonem; tertiam ab Augustâ Vindelicorum Brigantiam. Opinatur Wilthemius, vir antiquitatum apprimè gnarus, Celticum fortè id nomen esse, latè per hæc tempora sparsum gente & linguâ. Et quàm multæ ejusmodi gentium nomina originesq; vetustas abdidit: mihi ex tanto scriptorum silentio res incomperta. Planius aliquid Eutropius & Orosius, dum Cimbro, Teutones, Tigurinos & Ambrones Germanorum Gallorumque gentes scribunt, incerta interim gentium harum relictâ origine: quamvis duos priores Germanos, posteriores magis Gallos Celtasve indicent. Ut Ambrones etiam Helvetiorum gentem dixeris, Germanis tamen magis quàm Gallis adscripserim: ex quo Helveti perinde ut Boij, licet primâ origine Galli, tamen Cimbrico jam bello in linguam, mores & censum nationis Germanicæ transferant: quo vinculo tam facile etiam coaluerint in unum cum Cimbris & Teutonis bellum, tam Gallis ipsis infensi, quàm Romanis. Manent etiamnum *Helveti* Germanorum syncerissimi: ac nisi Tacitus obsisteret, dicerem primâ origine antiquissimos Teutones ac Germanos, quales *Svevos* istic esse supra monstratum est. Idq; eò mihi verosimilius se offert, quòd *Helvetios* et *Quados* eandem gentem censeat Eutropius. Constat autem *Quados* antiquissimum Germanorum populum inter Longobardos, Marcomannos, ceterosq; Svevos recenseri à Tacito, & à Ptolomæo in Hercynio saltu collocari.

Ac mihi quidem hanc vagabundam hominum multitudinem nativis sedibus excitam intuenti, percentsentiq; tot bellicosorum virorum, & omnis simul sexus ætatisque lanienam, non aliud magis in mentem venit, quàm suspicere mortalium casus, admirariq; divinam providentiam, quæ miseros ac cœcos illos homines sine veri Numinis cognitione, veræq; religionis cultu jactari, & interire permisit. In

Paderitius.
Ferdinandus in Monum. Paderbornens.

Eutropius
lib. 5. de bell.
Cimbrico.
Orosius.
Tacitus de moribus Germ.

Eutropius
lib. 5.

quo ipso non magis hominum damnanda malignitas, qui exuto omnis humanitatis sensu, in eam veritatem degenerarint, ut belluarum instar ex prædis viverent, atque armis & cædibus se dilaniandos objicerent. Quid factura tam generosa Germanorum pectora, si legem divinam, verumque Deum cognitum habuissent? Et quorsum hæc, & quæ deinceps ex harum gentium rebus gestis narraturi sumus, aut legendo Christiani revolvimus, aut Sacerdotes scribendo tractamus? nisi ut arcana Numinis consilia, & mortalium rerum dispensationem tantò sanctiùs veneremur, quantò nos feliciùs in ea tempora nati sumus, quibus admirabile illud religionis lumen depulsis gentium tenebris illuxit?

Quæ nunc Germanorum bella consequuntur, haud minùs cruenta, & ferociæ barbaræ plena. Sed ut illa Cimbrorum & Teutonum sunt illata Romanis, ita hæc, quæ memorabimus, accepta à Romanis, primùm vindictæ, tum subigendæ Germaniæ cupiditate; quanquam ferò, ac non nisi per magnum temporis intervallum ab anno conditæ Urbis DCLII, ad DCCXV, quo primus Romanorum principum C. Julius Cæsar Germaniæ bellum intulit. Nam annis interfluentibus à Cimbris bello Respublica Romana aut bellis exterarum gentium, aut civilibus dissidijs factionibusq; occupata fuit. Inde vel ob silentium scriptorum, vel ob quietem Germanorum, nobis ex hoc intervallo nulla quoq; scribendi materia se offert, nisi quòd Livij Epitome tradat, à M. Crasso Prætoris anno V. C. DCLXXXII. pugnatum cum Gallis Germanisque, cæsis triginta quinq; millibus hostium: quo simul prælio Granicus eorum Dux interemptus.

*Epitome
Livij l. 97.*

*An. V C.
DCCXV.*

*Ante
Christum*

57. &c.

*Cæsar l. 1. de
bello Gall.*

Dis. lib. 38.

Florus l. 3.

6. 10.

*Livij Epit.
lib. C. IV.*

Plutarchus

in Cæsare.

Svetonius

in Cæsare.

Eutrop. l. 6.

*Svetonius
in Cæsare.*

Hinc ad C. Julij Cæsaris bella procedimus; atq; is, posteaquam Galliæ provinciam sortitus, primo statim anno Helvetios subegit, repressitque intra fines suos, vindex postliminiò, ut ipse scribit, cladis Romanæ, quam Tigurini Helvetijq; L. Cassio consuli bello Cimbrico intulerant. Quà in re Cæsar non solum publicas, sed privatas injurias ultus est, quòd ejus Soceri L. Pisonis avum L. Pisonem legatum, Tigurini eodem prælio, quo Cassium consulem, interfecerant. Germaniæ verò bellum intulit, tum ut Cimbrorum Teutonumque injurias populo Romano tantis cladibus irrogatas ulcisceretur; tum ut Germanos contineret metu Romanæ potentiæ ac vindictæ; ne, ut Cimbri, & Teutoni Rhenum transgressi, in Galliam se populando inferrent: quàm vastatâ subjectâve, nihil propiùs reputabat, quàm ut in Italiam demum prorumperent. Hæc atq; alia speciosè Cæsar de causis belli, quibus in præsens addebat laceffitum se fociorum injurijs vindicandis: re autem, ut belli causam quæreret magis, quàm irrogatam à Germanis injuriam ulcisceretur. Candidè enim Svetonius: *Cæsar in-
explebili gloria et proferendi imperii cupiditate incensus, nullâ belli occasione
datâ, nec injustè quidem et periculose abstinuit unquam tam federatas, quàm
infectas*

infestas ac feras gentes ultrò laceffere. Ita primùm cum Ariovisto commissus. Transierat ille Rhenum cum exercitu xv. millium Germanorum, imploratus ab Avernis & Sequanis adversus Æduos. Pòst Ædúi & Sequani Burgundiæ tunc incolæ, ac populi inter se reconciliati Cæsarem populumque Romanum appellant; quòd Ariovistus, composito inter eos bello, finibus suis excedere nollet: quæsti cum primis apud Cæsarem de Ariovisti arrogantia & dominandi cupidine, qua totius adeò Galliæ imperium affectaret; nam præter exercitum xv. millium, qui subsidio venerat, accessere è Germanis aliæ post alias copiæ. Postremò Harudum xxiv. hominum millia evocata in subsidium, ut Cimbrorum & Teutonum in modum universam Galliam Italianq; depopulaturi subacturiq; crederentur. Cæsar auditis Æduorum & Sequanorum legatis ultrò auxilia offert; ac priusquam armis rem agat, Ariovistum, quòd antè in amicitiam populi Romani receptus, & multis beneficijs ornatus erat, in colloquium vocat; ratus ob id Cæsar posse congressu confici rem omnem. Ad quæ Ariovistus, si quid ipsi à Cæsare opus esset, se ad eum venturum fuisse, si quid ille se velit, illum ad se venire oportere; mirum sibi videri, quid in suâ Galliâ, quàm bello vicisset, aut Cæsari aut populo Romano negotij esset: adeoque superbè etiam Ariovistus, *quis est, inquit, Cæsar? si vult, veniat. Quid ad illum, quid nostra facit Germania? num me ego interpono Romanis?* Territi non tam ad has voces Romani, quàm ad ea, quæ ex percontatione Gallorum & mercatoribus audiebantur: adesse nimirum Germanos ingenti magnitudine corporum, incredibili virrute atque exercitatione, sæpe numero se cum ijs congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. Multi ex hoc terrore abditi in tabernaculis fata sua querebantur, multi lachrymas non tenuere; pleriq; tanquam ultimam necessitatem experturi testamenta obsignabant. Cæsar, cum multus esset in erigendis militum animis, tum omnia ad belli usum quàm diligentissimè componebat, non sine cogitatione & sollicitudine, sibi cum Germanis bellum esse, à quibus tot bello Cimbrico & Teutonico clades populus Romanus accepisset.

Advenere haud multò pòst Treviri questum de suo periculo apud Cæsarem, quamvis & illi Germani essent, sed discordes tum à ceteris Germanis: ab his relatum, confidere centum pagos *Svevorum* ad Rheni ripam, nec in aliud paratos, quàm ut Rhenum trajiciant, irrumpantq; in Galliam. Pagi hi, uti Cæsar appellat, certi regionum districtus erant, ex quibus singula millia armatorum bellicandicausa venerant excita, reliquis domi residentibus, & per vices agros incolentibus, ut jam centum millia armatorum excubaverint ad Rhenum. Hac Svevorum gente comprehensi *Catti*, ut diximus, *Marcomanni*, *Harudes*, & quotquot trans Rhenum eas regiones incoluere.

Bellum
C. Julij
Cæsaris
cum Ari-
ovisto
Germano-
rum
Rege :

coluere. Nec dubitem Tencteros, Usipetes, & Sicambros, in eam belli Societatem venisse. his cognitis, Cæsar, abruptis cum Ariovisto colloquijs, prælio decertandum statuit, priusquam cetera Barbarorum multitudo Rhenum transmissa accederet. Ac Cæsar postquam copias in aciem produxit, Ariovistus castris egressus cum equitatu se obtulit. Et levioribus pugnis, multisq; velitationibus res utrimq; per aliquot dies acta, donec ad supremum certamen deventum. Cæsar triplici acie instructa, usq; ad castra Ariovisti progressus. Tum demum Germani copias suas generatim constituunt, paribusq; intervallis Harudes, marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos componunt, omnemq; aciem suam rhedis & carpentis circumdant. Relictæ in castris mulieres custodia & præsidium; hæ milites in prælium proficiscentes, passis crinibus lachrymisq; obtestabantur, ne se in servitutem Romanis traderent. Diu acri & ancipiti certamine pugnatum, nec prælij calor magis patuit, quam quod Germani elatis supra caput scutis, cum se velut testudine tegerent, supra ipsa Romani scuta salierint, & inde in jugula gladios demiserint; postremum utrumq; cornu Germanorum disiectum. Non tamen continuo in fugam se dedere, sed triceni, quadragenarii, aliquanto plures agmine facto, scutis se sepientes, muri instar conglobati pugnant: Complures propter densitatem agminis etsi vulneribus perfossi, erecto adhuc corpore steterunt, eo modo major pars peditum perijt. Rupti demum atq; obruti Romanorum multitudine, & pugnandi dexterritate à prælio cessare. Alij in fugam, alij inter carros & impedimenta una cum uxoribus trucidati: Ceteri ad Rhenum profugi aut in tribus aut natandi peritia confisi salutem quaesivere: In his Ariovistus cum equitatu ad Rhenum delatus, ubi naviculam nactus, in alteram ripam evasit. Duæ Ariovisti uxores in fuga perire, quarum altera Sueva, altera Norica; filiarumq; quoq; altera trucidata, altera capta. Conjugem Suevam secum domo eduxerat, quod argumento est & ipsum Ariovistum ex Germaniâ trans Rhennam, & veteri Suevia, quæ Cattis multum attribuitur à Cæsare, fuisse oriundum. Sanè cum & per Ubios Suevi se ex fugâ retraxerint ad sedes suas, eas quoq; regiones incoluerint, quibus post Westfaliam nomen est datum. Neq; alius cætorum numerus à Cæsare consignatus, nisi quod per millia passuum quadraginta, ex eo, quo fusi fuere loco, illi profugerint, & hic inexplibili cæde fugientes ad Rhenum usq; persecutus sit. Appianus atq; Plutarchus octoginta Germanorum millia hoc prælio concidisse perhibent; quâ fide id scribant, incertum habeo. Quanta demum victoria illa fuerit, non tamen ausus Cæsar exercitum transportare per Rhenum, & Germanos in suis sedibus prosequi; satis habuit in præsens victos prælio Germanos expulisse à Gallia.

An. V. C. Tertio ab hinc anno Cæsar devictâ propè universâ Galliâ confirmatior audentiorq; traducto per Rhenum exercitu, Germanos in suis sedibus aggressus: quod omnino constitutum haberet, Germaniæ

Florus lib. 3.
c. 10.

Dio lib. 38.

Entropius.
Plutarchus
in Cæsare.
Appian. l. de
bell. Gall.
Livij Epi-
tome l. 104.

An. V. C.
DCXCVIII
&c. Ante

niæ bellum inferre, arreptâ belli causâ à Tenctēris & Vsiipijs. hæ gentes à Suevis Cattisq; agris expulsæ, cum turba mulierum & puerorum triennium per Germaniam vagatæ, postremû astu militari Rhenum transgressæ, invitataq; à Gallis, ut Dio perhibet, in Menapiorum agros se effundere, interq; eos per hyemem consedere, graves incolis & vicinis infestæ. Profligati jam prius erant in alterâ ripâ Tenctēri & Vsiipij, postquâ deprædationibus ad Mosellam usq; & Trevirorum fines incurfassent: nec tamen ijs ex locis se trans Rhenum recipere constitutum erat. Veriti interim Romanos, qui in vicinis provincijs hibernabant, legatos ad Cæsarem mittunt, cum mandatis, ut aut fœdus impetrent, aut agros sibi in quibus confideant, attribuat: Magna hæc simul jactantiâ flagitando, quòd dicerent, *Germanorum consuetudinem esse, neq; bellum prius inferre, neq; recusare, si laceessantur; unum se Suevis concedere, à quibus ejecti sint, quibus ne dii quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem interris esse neminem, quem non superare possint.* Ea bellicosæ gentis confidentia erat. At nihil aliud à Cæsare impetrarunt, quàm quòd in Ubiorum finibus trans Rhenum liceret confidere; quorum legati quoq; apud se sint, eadem de Suevorum Cattorumq; injurijs queritantes, à quibus id profuâ auctoritate facile impetraturi essent. Maluit nimirum Cæsar pugnam multitudinem trans Rhenum Ubijs conjungi in defensionem adversus Cattos, collidiq; Germanos cum Germanis, quàm venales pro nosq; in bella homines intra Galliarum viscera pati. Germani omni spe dejecti, pollicentur se libenter domum reversuros, modo tantisper inducias impetrent, nec Romani propius ad sua castra accedât. Inter hæc Romani quidam equites propius Germanorum castra subeunt, in quos Germanorum juvenus audaciùs invec̃ta, cum clade repellit. Improbabant id factum majores, ideoq; legatos ad Cæsarem mittunt, deprecatum juvenum facinus. quos Cæsar apud se retinet, collectisq; legionibus ad castra Germanorum advolat, & nihil hostile cogitantes sub meridiem, dum securè prandēt, obruit. Restitère fortiter Germani, depugnando inter sepimenta carrorum. Ad ultimum ejecti castris profligantur cædunturq;. In hac perturbatione ingens simul mulierû & puerorû turba miserabili strage contrucidata. Plutarchus Cæsarum numerum cccxli, milliū censet. Cæsar ipse cxxx. millia scribit. Augent Eutropius & Orosius. Cædes nescio majori Romanorû perfidiâ & immanitate, quàm culpâ & temeritate juvenum perpetrata. Celebris interim apud Romanos scriptores hæc victoria, tanquam magnum belli decus, inter paciscendum obruisse incautos, & imbellem turbam laniens militum obtulisse. Sanè Cato, cum de supplicatione ob hanc victoriam decernenda in senatu rogaretur, sententiam dixit: Cæsarem ipsum hostibus dedendum esse, ut pro civitate perfidiam expiaret. Aberrat tum fortè Tenctērorum Vsiipetumq; equitatus, cum hæc strages ederetur in castris, quâ cognitâ, per averſa itinera se ad Rhenu recepere: trajectoq; flumine, in Sicambrorum finibus consedere, à quibus in

Christum
54. &c.
Cæsar
Rhenum
transgres-
sus Ger-
manis
bellum
infert.

Cæsar lib. 4
de bello Gall.

Strages
Tenctē-
rorum &
Vsipio-
rum.

Plutarchus
in Cæsare.

fidem

Cæsar
pontem
Rheni
insternit.

Cæsar lib. 4.
Dio lib. 39.
Florus lib. 3.
c. 10.
Livius lib.
105.

Lucan. l. 2.

fidem & tutelam suscepti. Ob id Cæsar missis ad Sicambros legatis, fugitivum Tencterorum Ulsipetumq; equitatum sibi dedi poscit; non quòd impetraturum id se confideret, sed ut hanc quoq; transeundi Rhenum, & oppugnandi Germanos causam haberet. Itaq; cum equites non dederentur, ac simul Vbij trans Rhenum tum incolentes Cæsaris auxilia adversus Cattos implorarent, consilium habuit Cæsar de ponte, quem Rheno insterneret, fabricandū. Cœptum pontis opus incredibili celeritate & artificio, quale Cæsar ipse oculis subjicit, & tot inde scriptores celebrare, effectumque intra decem dies, obstupescantibus Germanis, tam brevi tempore vinci naturam arte; tanta quippe fluminis latitudo, tanta rapacitas & altitudo supra humana ingenia istic erat, ut nemo ante eum diem id machinari visus sit. Pontis locus non adeò finitè à scriptoribus designatus: sunt, qui intra Bonnam & Coloniam ponant. Certè infra confluentem Mosellæ collocare fas erit, ubi in confinijs cæsi Tencteri & Ulsipetes castra habuere. Ab horum clade per Ubios in Sicambrorum fines contendit Cæsar, exercitumq; in Germaniam Westfaliamq; ponte jam effecto traduxit. Sicambri audito Romanorum adventu, hortantibus, quos apud se habebant, Tencteris & Ulsipetibus, sese in solitudinem & silvas abdidere. Quorum vacuam Provinciam ingressus Cæsar, omnes vicos & ædificia exussit, succisq; frumentis se in Ubiorum fines recepit. Catti similiter famâ transgressi exercitus perculsi, liberos, uxores, suaque omnia in silvas deponunt; habitoque gentis consilio, omnes quotquot arma ferre poterant, in unum locum convenire jubent, certi prælio cum Romanis congredi, & fortunam experiri. Aderant Sicambri Tencteri & Ulsipetes, in eandem belli Societatem evocati, exacerbatiq; in Romanos. Quod ubi Cæsar comperit, post decimum octavum diem, ex quo trans Rhenum egerat, se cum exercitu ad Rheni ripam retraxit, recissoq; ponte, in Galliam regressus est, abundè, ut ipse scribit, ad dignitatem populi Romani & securitatem ratus terruisse Germanos, liberasse Ubios, ac vindicasse Sicambros; ita præpeditum, quo minus Castellum ponere, aut aliud monumentum in finibus hostium relinquere potuerit. Speciosè hæc Cæsar & Florus. Livius adeò proximam Germaniæ partem ab eo domitam scribit. Quamquam si Dionem Cassium adeamus, metu ille potius bellicosæ gentis recessisse Cæsarem perhibet, vel eò etiam, quòd Svevi in auxilium Sicambrorum evocati imminerent Cæsari; eò Pompejus à Lucano introducitur exprobrare Cæsari: *Gelidis Rheni qui fugit ab undis*: quò illapotissimum spectant, quæ de Svevorum Cattorumve fortitudine bellica tam magnificè introducit Cæsar, hostium virtutem pro more extollendo, quò suam simul exaggeret. Hic operosi pontis expeditionisq; in Germaniam exitus fuit. Inde Cæsar omisâ Germaniâ cum exercitu in Britanniâ movit, tanquam per mare in adverso orbe belli fortunam meliorem

rem quæsiturus, quam in Germaniâ in præsens nondum maturam reputabat.

Quamquam altero ab hinc anno nova trans Rhenum adversus Germanos à Cajo Julio Cæsare expeditio suscepta, haud ferè alia belli causâ datâ, quàm quod in communi Galliæ conspiratione adversus Romanos Germani à Treviris & Eburonibus sollicitati, socialia cum his arma sumpserant; nulli enim adversus Romanos auxilia denegabant. Trevirorum princeps Induciomarus, Eburonum Ambiorix, clarî eâ tempestate belliduces. Ab Induciomaro evocati in subsidium Catti: sed eo haud multò post à Romanis interempto, in fide adhuc Trevirorum hædere Catti; dum & illi à Labieno Cæsaris legato profligati se Romanis submitterent. Quâ clade auditâ, Catti intra fines suos recessere. Ambiorix belli initijs felicior, extractam per dolos è castris Romanam legionem ad internecionem delevit, cœsis Sabino & Cotta Romanorum legatis. Quâ victoriâ elatus, non modò Menapios, Nervios, Belgas, & Galliam prope omnem, sed & Germanos trans Rhenum viciniore populos concivit in arma: Primi proniq; inter hos Sicambri, Tencteri, & Usipetes, superioribus suis cladibus exacerbati in Romanos. At Cæsar, postquam profligato Ambiorige, Eburones celeritate oppressit, & ceteri cis Rhenum populi ultra in obsequium Cæsaris venire, vindictam & vim belli convertit in Germanos; iterumq; Rhenum duabus de causis transire constituit: quarum altera erat ulciscendi Cattos, qui in subsidia Trevirorum se moverant: Altera, ne Ambiorix receptum ad Sicambros ceterosque Germaniæ populos haberet. Igitur paululum supra eum locum, quo antè transierat, pontem alterum Rheno imponit. Quem alij prope Coloniam, alij Antonaci, alij supra Bonnam, alij inter Bonnam & Coloniam verisimilius collocant. Opere inter paucos dies ad modum rationemq; prioris pontis effecto, Cæsar exercitum traduxit. Ubij in quorum fines primum perventum, jam antè obsides dederant, receptiq; erant in fidem & tutelam Romanorum. Ab his uti Cæsar didicit Svevos Cattosq; in unum locum, uti antè fecerant, omnes copias cogere, eoque ceteros Germaniæ populos auxilia submittere, castris locum idoneum delegit; non ultra progredi ausus, usque dum per Ubiorum exploratores certius cognosceret, Germanos ad Bacenem Silvam, quâ Cherusci à Cattis dividuntur, omne bellirobur continuisse, ibique ad initium silvæ Romanos præstolari. Sollicitum id magis habuit Cæsarem, eoque adduxit, ut potiùs Germanorum metu, quod Dio Cassius refert, quàm inopiâ frumentorum, tum maturescantium adhuc, quod Cæsar obtendit, cum exercitu maturè ad Rhenum se retraxerit, nullâ realiâ memorabili perpetrâtâ, quàm quòd gloriam Rheni alterâ vice Trajecti reportârit. Ponte eâ parte, quâ ad Barbaros pertinebat, recisso, castellum in adversâ parte cum

An. V. C.
DCC. &c.
Ante
Christum
52. &c.
Cæsar de-
nuo Rhe-
num
transit.
Cæsar lib. 4.

Alter
pons à
Cæsare
Rheno
imponi-
tur.

Aventinus.
Cluverius.
Glandor.
in notis ad
Cæsarem.

Florus l. 4.
c. 12.

*Cæsar l. 6. de
bel. Gal.*

*Plutarchus
in Cæsare.*

*Cæsar
Germanos
in subsidium
belli
Gallici
evocat.
Cæsar l. 7. de
bello Gall.*

Diolib. 40.

*Lib. 8. de
bello Gall.*

cum præsidio militari posuit: adeo terror comitatus recedentes, ne Germani per eadem pontis vestigia insequerentur. Vel inde Florus memorat Cæsarem breviori tempore, & minori cum victoriâ rediisse, quàm ut Castellum ponere, vel aliud gloriæ monumentum in hostium finibus relinquere potuerit. Cæsar vindictam, quam Germanis intulerat, in Eburones convertit, missisq; ad finitimos regionum populos nuncijs, omnes in liberam Eburonum prædam & gentis nomen ac stirpem excindendam evocavit. Pervenit & hæc fama trans Rhenum ad Germanos. Ex his Sicambri II. millia selectorum equitum cogunt, quos navibus ratibusq; impositas xxx. millia passuum infra locum, infrati pontis, Rheno trajiciunt. Ac latè hi primùm spolijs vagati; post ubi ex captivis didicere, Cæsarem cum exercitu longius abesse, castra Quinti Tullij Ciceronis iterato impetu aggrediuntur, certo expugnaturi, ni tam fortiter Cicero in præfens Sigambris, quàm antè Nervijs restitisset. Veriti deinde Cæsaris adventum, cum ingenti præda, quam in silvis deposuerant, trans Rhenum in suas sese veteris Westfalicae sedes recepere. Adeo Germani, post duplex bellum transito Rheno illatum, etiam insultare ausi. Galliam Cæsar redegit in provinciam, Britanniam tributariam fecit, Germaniam non nisi territam reliquit.

Illacessiti de hinc Germani ad extrema Augusti Cæsaris tempora: nam bellum inde civile consecutum, quod intestinis diffidijs atq; armis ita convulsit Romanam Rempublicam, ut pacem magis cum exteris nationibus ambiret, quàm bellum quæreretur. Et Cæsar Germanos omnes belli sui socios, quàm hostes habere maluit. Nam cognita semel Germanorum constantia & fortitudine, in Germaniam mittit ad eas gentes, quas ante pacaverat, equitesq; ab his, & levis armaturæ pedites conscripsit; quorum tanta erat celeritas, ut jubis equorum sublevati cursum equorum adæquarent; hos deinde in cohortes distributos per legiones dispertijt, stipendijsq; suis inter militiae suæ robora impensè fovit. Nec Cæsarem fefellit æstimatio virtutis, qualem ipse in Svevis Cattisq; describit. Mox enim ardente adhuc bello Gallico, producti in aciem Germani adversus Vercingentorigem; cumque ancipiti prælio res ageretur, tandem Germani à dextero latere summum jugum nacti, hostes loco depellunt; fusoq; Gallorum equitatu, Vercingentorix in fugam actus. Haud dissimiliter ad Alesium à meridie ad solis occasum dubiâ victoriâ decertatum, donec Germani ex unâ parte confertis turmis in hostem impetum facerent, & Gallos primùm in fugam compellerent. Paria Germanorum decora legas ex prælijs adversus Bellevacos, Atrebates, Pictones, & Drapetem Gallorum regulum; laudique datum fuit, audaciam ingenti corporum mole ac robore æquasse. Bello civili traducti Germani à Cæsare in Hispaniam, atq; Italiam; deinde Brundisium, & in Thessaliam, ubi summum momentum Cæsari ad victoriam contra Pompejum prælio Pharsalico attulere.

Nam

Nam cum diu æquo Marte decertaretur, ac Cæsariani ab immisso Pompeij equitatu vehementer pressi inclinarent, continuo Cæsar dato signo Germanorum cohortes immittit. Eæ cum mox impetu prouerent in Pompeij equitatum, disjecti sunt primum equitum ordines; quorum perturbatione levis armaturæ milites in fugam rapti. Hunc in modum laxata acie totius exercitus Pompejanorum ruina consecuta est. Tantum momenti ad hanc celebrem pugnam victoriæque attulere Germani. Neque alij hi Germani fuerunt, quàm quos Cæsar pacatis trans Rhenum regionibus ex Svevis, Cattis, Sicambri, Tencteris & Usipijs conscripserat, & quemadmodum supra demonstratum est, in Romanam militiam traduxerat. Fuere interim & in Pompeij exercitu Germani, qui post in Africam deportati Scipioni contra Cæsarem militavere, cognitique à Cæsarianis, dum in campo inter cæforum cadavera, vasta & magnifica Germanorum corpora reperta sunt. Id tam creditu facile, quàm insitum Germaniæ juventuti ultrò eas nationes petere, quæ tum bellum aliquod gerebant. Inde ad Romanam disciplinam artemque militarem condocerunt Germani, exercitique inter eos militares viri, easdem bellandi artes in Germaniam retulerunt, quibus postea ipsis Romanis exitio fuere. Quamquam id potius demireris, pugnacissimam gentem inter civilia bella, quibus tam diu ac foedè Respublica lacerata est, quietam confedissee; seu nemo illa scripserit, seu scripta interciderint. Haud obscura ejus rei vestigia, Nam ut primum Augustus civilium bellorum vacuus aliquantum, tanquam superiores etiam Germanorum irruptiones in Galliam ulturus, misit M. Agrippam consulem supremum illum consiliorum & bellorum suorum moderatorem cum exercitu ad Rhenum. Belli hujus recens causa erat, quòd Ubios cum primis amicos populi Romani, excitis in rebellionem Treviris, vexassent, hostiumque instar tractassent; soli enim Ubij ex TransRhenanis se in fidem & tutelam populi Romani dederant, tanquam avulsi à ceterorum Germanorum societate. Agrippa turbulentis in Galliâ motibus compressis, devictisque Aquitanis, ultorem etiam se Germanorum tulit: ponte enim Rheno instrato, (quam gloriam sibi post C. Julium Cæsarem sumpsit) Germanos intra suos fines est aggressus; sed eodem quo C. Julius Cæsar exitu: brevi enim compulsus est copias trans Rhenum reducere in Gallias. Non desunt, qui Ubios hoc tempore in citeriorem ripam traductos volunt, & Cæsaris Augusti Vipsanijque Agrippæ ductu Ubiorum oppidum primum conditum; idque eo loco, ubi C. Julius vestigia castrorum reliquerat, & mirifico illo pontis opere Rhenum junxerat. Senatus populusque Romanus M. Agrippæ ob hæc res præclare gestas in Galliâ & Germania triumphum decrevit, quem Agrippa recusavit, ratus haud decere, naufragijs Cæsaris, quæ tunc urbem mœstam tenebant, triumphî lætitiâ interponere.

Inde

Germani
adstunt
Cæsari
contra
Pompejū.

Cæsar lib. 8.
de bello Gall.

Hirtius de
Bello Afric

Tacitus de
mor. Germ.

Dio lib. 46.
& lib. 47.

Dio lib. 53.
Strabo l. 4.

Agrippa
Rhenum
transit
ponte im-
posito.

Lipsius,
Cleverius
Mirus.

Sigonius.

An. V. C. Inde ab Octavio Cæsare revocatus est ex Galliâ, ad classem reficien-
 DCCXVII. dam moderandamque. Vix dum ille excefferat è Gallia, cum Svevi,
 &c. Ante Germana natio, quæ supra Sicambros omnem illam Rheni ripam in-
 Christum fidebat, Rhenum aliquoties transgressi, spolijs ac populationibus vi-
 35. cinas Galliæ provincias incurfavere, quos demum C. Carinas Belgi-
 Dio lib. 51. cæ præses profligatos, trans Rheni flumen rejecit. Quamobrem an-
 Strabo l. 4. no proximo triumphalia ornamenta adeptus, insignem cum Augu-
 Sigonius. sto, cujus auspicijs hæc gesta erant, triumphum duxit. Animadver-
 Brevverus. sum à scriptoribus, ex quo Gallia & Cis Rhenana Germania à Roma-
 nis subacta in provinciam, Germanos, qui trans Rhenum incolunt,
 multò infestius habuisse CisRhenanos quàm ante; tanquam qui à
 communi gentis Societate avulsi peregrino se imperio in perniciem
 & jacturam suæ libertatis submitterent.

An. V. C. Aderat jam urbis conditæ annus DCCXXV. quo Cæsar Octavius
 DCCXXV. post Actiacam victoriam superato Antonio, & confecto bello civili,
 &c. Ante urbem triumphali plausu ingressus. Tum post debellatas, pacatasq;
 Christum triumphum ob bella erat referatum, tertium clausit. Tum per Monarchiæ initia
 27. Augusti nomen & Imperium (quod ante cum Triumviris pex ix. an-
 Cæsaris nos, exinde solus per xl. gessit) est sumptum. Quippe ob arrogantiam
 Romæ & discordias optimatum fessa civilibus armis urbe, & civium etiam
 triumphy sanguine exhausta, placuit Principis nomine imperium moderari, ut
 & initium Augusti nomen & Imperium (quod ante cum Triumviris pex ix. an-
 Monar- nos, exinde solus per xl. gessit) est sumptum. Quippe ob arrogantiam
 chæ. & discordias optimatum fessa civilibus armis urbe, & civium etiam
 An. V. C. sanguine exhausta, placuit Principis nomine imperium moderari, ut
 726. brevi nascituro Principi, Christo Servatori, sub mitteretur, cujus no-
 Sigonius in vum cælesteque imperium nec terrarum finibus, nec temporum sæ-
 Fastis. culis clauderetur. Tum Legiones omnes sunt recensitæ, divisaque to-
 Tacitus l. 1. to orbe terrarum provinciæ inter Senatum populumq; Romanum &
 ann. Augustum Cæsarem; interq; Occidentis provincias, Hispania, Græ-
 Dio l. 53. cia, Dalmatia, pluresque cum infirmiores, tum pacatiores provinciæ
 Senatui populoque adscriptæ: sibi cum Galliâ Germaniam sumpsit
 Augustus, tanquam cum ea debellata Romanum Imperium termi-
 Diol. 43. naturus, aut certè Augusti nomen nullo alio bello gloriosius quàm
 Germanico coronaturus. Magni interim Germanos præ ceteris gen-
 tibus fecit Augustus: in quorum aliquando gratiam Ægyptiorum Re-
 gina, quam ex bello Alexandrino, subactaque Ægypto captivam du-
 xerat Romam in triumphum, dimissa est. Adlecti deinde ob fidem &
 Suetonius constantiam gentis ab Augusto Cæsare Germani inter armigeros,
 in August. quibus custodia corporis est credita, retentiq; ad Varianam cladem,
 & extremum prope vitæ in illo muneris honestamento. At Jani tem-
 plum, quod clauserat Cæsar bellis Civilibus extinctis, ab urbis condi-
 Lipsius lib. tæ anno septingentesimo vigesimo quarto, brevi referatum, ob belli
 Elect. c. 20. motus in Hispania, Gallia, & Germania, rebellionem populorum, conci-
 tatos; ad quos componendos Augustus cum exercitu in Galliam est
 profectus; inde in Hispaniam transgressus, brevi majestate nominis
 & ter-

& terrore hanc tempestatem Galliæ Hispaniæque pacavit. At non æquè nubes, quæ à Germanis impendebat, disjecta. Missus adversus Germanos M. Vinicius Galliarum præses, quòd Rhenum transmissi Germani jam ante Gallias infestarent, & recens mercatores Romanos commerciorum causa incautiùs Rhenum transgressos intra suos fines, seu prædæ cupidine, seu exploratorum suspitione barbarum in modum contrucidaverant. Ejus facinoris ulciscendi causâ Vinicius cum legionibus Rhenum transgressus, tantam barbarorum cædem fecit, ut clarissimum illi Senatus triumphum decreverit. Quem cum præmodestia recusaret, fornix Vinicio, triumphale monumentum, in Alpibus est positus; admisitque, quòd Salassos gentem istic rebellem simul compresserat, majori à Salassis quàm Germanis reportatâ victoriâ. His belli motibus compositis Janus iterum biennio post clausus. Augustus, quòd Gallorum ingenijs ad pristinam libertatem aspirantibus ob bellicosam Germanorum vicinitatem non fideret, Tiberium Neronem in Galliâ cum supremâ armorum potestate reliquit præfulem. Erat is Augusti Cæsaris privignus, Drusi frater, uterque ab Augusto adoptatus, & Cæsaris nomine ornatus: Alter etiam post excessum Augusti successor in Imperio. Hos juvenes, quòd Liviâ conjuge eblandiente ad supremâ Reipublicæ destinaret, armis tractandis regendisque provincijs admovit, abstractumque ab urbis gubernaculo in præsens Tiberio adjunxit M. Agrippam, virum obscuro quidem loco natum, sed bonum militiâ; quem Augustus omnium consiliorum & bellorum ducem, ac tantum non Imperij collegam habuit. Quarè & filia ipsi Julia, & filia Agrippæ Tiberio post Cæsari ab Augusto in matrimonium est collocata. Is tum additus Tiberio adhuc inexperto bellorum, ut præcipitem juvenis animum temperaret, regeretque inter ancipites belli casus. Nec enim cum Gallis modò, sed cum Germanis perpetuò Rhenum superantibus, & Galliam incurfantibus res erat: fecitque M. Agrippæ præsentia, & in tractandis exterorum populorum animis singularis industria, ut per id tempus Gallia Germaniaque aliquamdiu conquiesceret. Sanè M. Agrippa ad Rhenum digressus diligenter limiti ob Barbarorum incursiones custodiendo prospexit; quæ etsi per obscure scribantur à Romanæ historiæ auctoribus, ipseque Dio queratur exinde res gestas sub Augusto destitui accuratis scriptoribus; constat tamen M. Agrippæ accessu ad Rhenum, si non priori, ut suprà diximus, Ubios Germanam gentem, & Romanis hætenus fidam, quæ trans flumen incolebat, traductam in citeriorem ripam, & Treviris Menapijsque proximam cœpisse exinde regionem incolere. Tunc & Ubiorum oppidum Coloniamque quidam conditum volunt. Nempe Tacitus: *Ubii quidem, quanquam Romana Colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine*

D

erubesc-

Dio lib. 53.

An. V. C.

DCCXXVIII.

Ante

Christum

24.

M. Vini-

cius stra-

to ponte

Rhenum

transit,

tertius

post Cæ-

sarem &

Agrip-

pam Ger-

maniam

ingressus.

An. V. C.

DCCXXIX.

& xxx.

Ante

Christum

23. & 22.

Dio l. 54.

Suetonius

in Tib. c. 9.

Strabon. l. 4.

Tacitus l. 1.

ann.

An. V. C.

DCCXXXI.

& c. Ante

Christum

21.

Agrippa

Galliæ

Præses ad

Rhenum

accedit.

Lib. de

Germ. mo-

rib. c. 28.

Gelen. in

Sacr.

Tacitus l. 12.
Ann. c. 27.
Lipsius in
notis ad lib.
12. ann. & l.
de moribus
Germ.

Ammian. l.
22. & 23.
Procopius l.
11. bell. pers.
Surita ad
itiner. An-
ton.
Broverius l.
1. ann.
Trevir.

in C. 3. Joelis
An. V. C.
DCCXXVII.
Ante
Christum
15.
Dio lib. 54.
Sueton. in
Aug.
Clades
Lolliana.
Velleius l. 2.

erubescunt, transgressi olim, et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur. Quanquam Agrippinae no-

men, si non & ipsum oppidum ab ipsa post Agrippina M. Agrip-
pæ nepte, Germanici filia, Neronis matre multò celebrius. Ta-
citum rursus audio: Agrippina, quò vim suam sociis quoque natio-
nibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, Veteranos
Coloniamque deduci imperat: cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac
fortè acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fi-
dem acciperet. Non minus illustre monumentum Agrippæ militares

viæ, quæ Lugduno in Romanorum Coloniam quaqua versum du-
ctæ, ob comitantem ultrò citroq, militem Romanum, & publi-
canorum & mercatorum turbam; quare unam ad Rhenum usque
atque ad Ubios directo tramite aperuit. Extant hodie plurima
in Belgicâ & Germania vestigia, quæ nunc strata, nunc regia, nunc
militares viæ dictæ, certis intervallis distinctæ, & cippis etiam la-
pidibusque ac mensuris notatæ; apud Italos milliaria, apud Hispanos
ac Gallos Leucæ, apud Græcos stadia, apud Persas parasangæ, apud
Germanos rastæ; quæ nimirum à mansione & interquiescente viato-
re nomen habuere. Rastarum adeò meminit D. Hieronymus; & fre-
quens apud ceteros mentio. Ad hunc modum militares viæ ab
Rheno postea ductæ in Germaniam ad Luppiæ & Alifonis conflu-
entes, ubi celebre illud castellum Alifonis à Romanis est structum.

Post Tiberij & Agrippæ ex Galliâ discessum, impositus Galliis
M. Lollius legatus, ante quinquennium Romanus Consul, homo
pecunia quàm faciunda rei cupidior, et inter summam vitiorum dissimu-
lationem corruptissimus, ut Velleius scribit. Quàm invisa Gallis ava-
ritia, tam obnoxia fuit Germanorum spolijs Legati inertia. Ausi
enim eo præside Sicambri, Usipetes, & Tencteri pro veteri odio
in Romanos, quos in suis finibus deprehenderant, agere in cru-
cem, & pro barbaræ gentis ferociâ, diversis supplicijs necare. Mox
etiam superato Rheno se in Galliam cum expedito equitatu effun-
dere, obvia quævis perpopulando. Quorum insolentiam, ut re-
primeret Lollius, exquisitas equitum alas emittit, qui hostem cum
præda interciperent, priusquam Rheno transportaret. Animadver-
tit ea res sagaciores Germanorum; atque ut insidias præverterent
insidijs, ultro in hostem feruntur, locum idoneum occupant, Roma-
numq; equitatum inopinantem adoriuntur. Romani ubi ex omni
parte se circumventos conspexere, repente agmine converso ad ca-
stra se recipiunt. Inherent à tergo Germani, nec fugientium cæ-
dibus paritum, dum ad ipsum Lollium Germani impetu delati.
Hæsit Lollius obstupefactus ad Barbarorum audaciam; & mox lo-
co pulsus se in fugam abjicit, captâ quintæ legionis aquilâ inter
cæforum cadavera. Magnopere ea clades affecit Augustum. Quem
admo-

admodum id à Suetonio perscriptum: *Graves ignominias cladesque duas omnino, nec alibi quàm in Germaniâ, accepit, Lollianam et Vari-* *Suetonius lib. 2. c. 23.*
nam; sed Lollianam majoris infamiae, quàm detrimenti. Felix ubique Cæsar post sumptum imperium in Hispaniâ, Galliâ, Dalmatiâ, Illyrio: verùm una Germania, cladibus & bellis infesta.

Excivit Lollianae cladis nuntius Cæsarem Augustum Româ, *An. V. C. dccxxxviii.*
nec quicquam sollicitius habuit, quàm ut cum exercitu festinaret *Ante Christum*
in Galliam, L. Domitio & P. Scipione consulibus, ulturus igno- *14.*
miniam. Germani comperto Augustum ipsum cum delecto mili- *Lolliana*
tum robore venire in Galliam, ac sibi accensum irâ imminere, ce- *clade ex-*
leriter se trajecto Rheno intra suos fines recipiunt; nec ultra infe- *citus Ro-*
cutus Cæsar, satis habuit obsides accipere, & pacem, quam ubiq; *mâ Cæsar*
gentium impensè fovebat, in præsens cum Germanis colere. Nec *in Galliam*
tamen quieti Germani, altero mox anno, perinde ut & Rhæti mul- *contendit*
ta insolenter moverunt. Sed omiſſis ad tempus Germanis, Tiberius *An. V. C.*
& Drusus objecti Rhætis comprimendis, intra Alpes occupavêre *dccxxxix.*
Romanum exercitum. Cæsar interim per hæc tempora in Gallijs *&c. Ante*
adhuc versatus, postquam omnia cum Gallis Germanisque com- *Christum*
posuisset, Romam est reversus, Tiberio & Quintilio Varo consu- *13.*
libus: Et Drusus, cujus exinde nomen bellis Germanicis inclaresce- *Dio lib. 54.*
re cœpit, in Germaniâ ad Rhenum relictus. Movit subinde se Pan-
nonia rebellando Cæsari, cui bello post excessum Agrippæ, quem
hoc anno mors in Campaniâ sustulit, Tiberius præfectus. Pacem
unicè quærebat Cæsar, Reipublicæ & orbis domitor; agitabatq;
non aliud secum, & in Senatu impensius, quàm quietis & pacis
consilia: cùm repentè ex serenitate tempestas; & Norici, Illyrij,
Pannonij, Dalmatæ, Myſi, Thraces, Daci, Sarmatæ, atque Ger-
mani fatali quasi conspiratione ab imposito jugo resilière. Non-
dum quippe assuetæ erant franis servitutis tumidæ gentium infla-
tæque cervices, & ferocius, quæ ad Septentrionem sunt populi,
tumultuari cœperunt, Quò referri opinor Florum, qui hæc scri-
bit, cum Dionem consentientem habeamus: Germanos cum li-
bertatis retinendæ amor, tum vicinum Galliæ exemplum concita-
bat. Quippe Gallia ob imposita tributa, & inexplebilem Roma-
norum Præsidum & quæstorum avaritiam; ob publicanorum ex-
actorumque sævitiam, haud aliter quàm ab hoste vexabatur. Un-
de & in Gallia tumultuari cœptum, pristinae libertatis amore. Testis
vel unus Licinius, per id tempus præfectus: qui, cùm tributum in
singulos menses statutum esset, ipse annum in quatuordecim divi-
sit, lucro nimirum duorum mensium superaddito; ob id postula-
tus à Gallis apud Augustum Cæsarem de peculatus crimine. Ubi
verò ab infenso sibi Cæsare poenas procudi sensit, novo artificio
usus, Cæsarem demulsum ad ædes suas invitavit, ostensoque ingenti
prædæ

Hæc, 1.

prædæ thesauro: En, inquit, Cæsar, hæc omnia tibi conquisivi, quæ nunc liberali dono meo habes. Cæsar captus thesauri cupidine Licinium absolvit. Adeo principes, ut facer vates scripsit, socii sæpe furum.

Florus lib.

4. c. 12.

Velleius l. 2.

Multa hujusmodi audiebantur apud Germanos, qui trans Rhenum incolebant; nec aliud quàm Galliæ servitutem ad se transituram verebantur. Inde facta conspiratione, pro libertatis possessione conjurârunt Sicambri, Usipetes, Tencteri, Bructeri, & quotquot Westfaliam intra Rhenum & Visurgim incolebant: Cattis exceptis, qui ab hac armorum Societate se subtraxerunt. Et Cæsar Augustus clade Lollianâ, & continuis per Rhenum Germanorum incurfionibus laceffit, bellum adversus Germanos eo concitatiùs sumpsit, quòd sciret, patrem suum C. Julium Cæsarem, bis trajecto ponte Rheno, quæsisse bellum cum gentibus illis, in cujus honorem concupivit Augustus Germaniam haud secus quàm Galliam in provinciam redigere: et factum fuisset, inquit Florus, si barbari tam vitia Romanorum, quàm imperia ferre potuissent. Cura igitur & moles Germanici belli delegata Druso Claudio Cæsari, fratri Tiberij Neronis, juveni ingentis animi, & omnibus belli artibus & civilibus studiis instructo, nec minus gloriæ percupido: Ideo affectatum magis bellum, quàm impositum suscepit Drusus.

Drusi expeditio trans Rhenum.

I. Drusi expeditio in Germaniam.

Rhenum transit cum exercitu adversus

Bructeros & Usipetes.

Tacitus de morib.

Germ.

Diolib. 54.

Sueton. in

Claud. c. 1.

Fossa Drusiana.

Tacitus l. 11.

ann.

Prima Drusi cura post res in Galliâ compositas, firmare Rheni limitem, & providere ne Germani pro veteri prædandi libidine incurfarent Galliam: quam in rem etsi omnia diligenter obstruxisset, non tamen prohibere potuit, quin superato Rheno se in Galliam inferrent Germani: quorum audaciâ provocatus in prædantes movit, & trans Rhenum cum clade repulit. Hoc primo belli successu confidentior Drusus, ausus & ipse post C. Julium Cæsarem & Agrippam transire cum exercitu Rhenum, non istic ubi alij, sed ad inferiorem ripam, secundum insulam Batavorum & Rheni divortium; quò incautos istic falleret obrueretque. Ibi primus belli impetus in Usipetes factus. Nam etsi Tacitus Usipetes et Tencteros proximè Cattis; Dio tamen, qui hæc bella nobis tradit, ad inferiorem Rheni ripam collocat: Confederatque tunc vaga illa gens in Cliviæ & Monafteriensium agris Rheno propior.

Decursis populatisque Usipetarum agris, Drusus in Sicambros movet cum exercitu, vastatâque magnâ parte earum regionum, reflexit ad Rhenum iter: ac cum classe quam paratam habebat, secundo Rheni flumine in Oceanum devectus Frisios subegit; quibus tributum loco coria boum imposuit. Sub quod belli tempus fossa Drusiana cœpta. Nimirum, ut præter Dionem Suetonius memorat, Drusus Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit, transq; Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, (quæ nunc adhuc Drusia.

Drusianae vocantur) quas & Germanicus, bellica patris vestigia legens, cum classe intravit. Ita Rhenum, qui ante bicornis erat, tricornem fecit; alveo ex Rheni flumine per viii. millia passuum in *Isalam* aperto, quò classē cum exercitu ex *Vahali*, & superiori Rheni parte in *Flevum* lacum, ac dein in Oceanum deduceret, Frisios & Chaucos petiturus. Quam in rem *Isala* quoque alveum intra *Doesburgum* laxiorem fecisse opinantur non pauci. Frisij subactis, incessit cupido in *Chaucos* movendi. Ducta classis ad fines *Chaucorum*, sed in paludes aestuariarum acta, ubi praesens discrimen *Drusus* adiit, navibus ob refluxum maris in sicco destitutis: nec prius emergere licuit quàm Frisij, qui pedestri se militiā Romanis junxerant: periculo & *Chaucorum* manibus extraxissent. Quā in expeditione *Bructeros* navali proelio in *Amisia* flumine; quòd à *Strabone* relatum est, superasse crediderim. Multa *Drusum* meditantem revocavit hyems. Ita hoste magis lacescito, quàm victo, exercitum laboribus & ærumnis confectum ad hyberna reduxit in Galliam: ipse laboribus & ærumnis attritus Romam profectus est ad Augustum Cæsarem; nova belli consilia, & imperia debellandæ Germaniæ capturus.

Prima hæc *Drusi* expeditio fuit in Germaniam, quam altera, dehinc consecuta est *Q. Ælio Tuberone*, & *Paulo Fabio Maximo* consulibus. Auctus tum est *Drusus* prætoris Urbani honoribus; ac nihil festinatiùs habuit, quàm bellum Germanicum repetere. Inde sub initium veris evocato ex hybernis exercitu, ad Rhenum contendit; traductisque per flumen copiis, mediam Westfaliam ingressus, primùm in *Uspetes* movit: quibus obrutis subactisque, cum magna pars ad interiora *Bructerorum* se reciperet, *Luppiani* flumen ponte junxit, traductisque Legionibus *Sicambros* irrupit. Quo quis satis cognoverit *Sicambros Paderbornensem* Diocesim incoluisse: Inde ad *Visurgim* usque flumen multà mortalium cæde pervenit. Ut verò tam libere hostium regionem peragraret *Drusus*, & cum exercitu à Rheno interiora hæc Germaniæ loca penetraret, quò nondum quisquam Romanorum progressus fuerat, fecit *Sicambrorum* & totiùs populi Westfaliam incolentis expeditio in *Cattos*, qui soli finitimorum auxilia negarant adversus Romanos. Per id bellum intestinum *Druso* nudatæ regiones patuere; ceteris ad *Drusi* adventum cum uxoribus & liberis in silvas & paludes, & montium *Teutonicorum* saltus refugientibus. Aliàs validæ ac bellicosæ gentes, ut mox constabit, non passuræ *Drusum* tam impunè percurfare provinciam, & ferro flammaque pervastare omnia.

Hoc rerum successu consilium erat *Druso* transire *Visurgim*, & *Cheruscis* trans flumen arma inferre. ni frumentorum inopia, & hyemis propinquitas impediissent. Coepit igitur à *Visurgi* per *Teu-*

An. V. C.
DCCXLII.
Ante
Christum
10.
II. *Drusi*
expeditio
trans Rhe-
num.
Dio lib. 54.
Drusus
Luppiani
ponte jun-
git.

Ejusdem clades, il-
lata à Ger-
manis.

tonicorum montium juga retro legiones ducere, non sine detri-
mentis, & præfenti totius exercitus discrimine. Quippe *Sicambri, An-*
grivarii, Bruçteri, Cherusci, Tençteri, ceterique Barbarorum, omiffis *Cat-*
tis collecti in arma, recedentem Drusi exercitum, per infidias erum-
pendo quaquaversum ex saltibus & montium latebris è vestigio inse-
qui: à tergo & lateribus infestare, & quotquot Romanorum longius
abscefferant, ut locus, ut casus obtulit, intercipere ad cædem. Postre-
mum ubi Romanos arcto saltuum & vallium transitu naçti, tum
Drusus cū
exercitu
à Visurgi
reduç,
extre-
mum pe-
riculum
subit.

Ferdin. in
Monum.
Paderb.
& tabula
Geo-
graph.
Dio lib. 54.

verò totis viribus in unum contractis irruere: & parum abfuit, quin
omnem Drusi exercitum locorum angustijs circumventum inter-
necione delerent; si quantum audaciæ ferociæque exarserat, tantum
artis militaris adfuisset. At dum ferarum in morem sine ordine,
fine signis, sine certo ducum imperio incurrunt, Romani, arte mi-
litari meliores, incompósitos excipiunt, fractâque primâ irruenti-
um ferociâ retropellunt. Pugna utrimque atrox & cruenta, at ja-
çtura cæforum militum major apud Germanos fuit. Hæ viarum an-
gustia ad *Oldenbecam* pagum creduntur designari. Præludia hæc *Va-*
rianæ cladis fuerunt, haud procul in iisdem montium jugis. At
Drusus cum attrito exercitu in subiectam planitiem emerfit. Ex eo
barbari, (verba Dionis Cassij refero) *propius adire veriti, eminens tan-*
tum hostem infestare, ita ut Drusus vicissim iis contemptis castellum
contra eos ad Luppia et Alifonis fluviorum confluentes, aliudq; in Chattis
ad ipsum Rhenum extruxerit.

Alifonis
Castellū
à Druso
positum
ad Luppia
& Alifo-
nis con-
fluentes.

Florus lib. 4.
c. 12.

Hoc nunc illud Alifonis castellum, præter Dionem, à Tacito
& Velleio claris Romanorum scriptoribus memoratum, quod pri-
mum à Romanis intra Rhenum & Visurgim in sinu Westfalicæ, &
in visceribus hujus Diæcesis ad confluentes *Luppia et Alifonis* est po-
situm, belli sedes, ex qua Germaniam debellare cœptavere. Alte-
rum in Chattis castellum à Druso positum alij *Cassellas* volunt, ca-
put nunc gentis Cattorum; quidam supra *Adranæ* ripam collo-
cant, haud procul ab amnis ejus & Visurgis confluentibus: ducti
comprimis Flori auctoritate, qui à Druso castellum Visurgi imposi-
tum memorat; alij in monte *Tauno*, qui Moguncia objacet, in Ger-
manicæ Cattorumque veterum solo adsignant. Inde enim posito
castello super vestigia paterni præsidij in monte Tauno Germanicus
exercitum in Cattos rapuit. Sanè Dio Cassius hoc Drusi castellum
in Cattis ad ipsum Rhenum collocat, à quo Taunus mons haud
procul disjunctus. Castellum Alifonis, loco posituque suo nobis
certius ad confluentes *Luppia & Alifonis*, qui nunc in *Almæ* nomen
deflexit: nempe ut castellum in Cattis Drusus hac suâ expeditione
posuit ad gentem Cattorum continendam, ita castellum Alifonis
in Sicambrorum, Angrivariorum, Cheruscorum, Bruçterorum fi-
nibus præmunijt, frænumque circumiacentium & validissimarum
gentium

gentium esse voluit, & hoc ipso in loco confluentium amnium, ubi nunc *Neubusum* oppidum, arx & sedes Episcoporum Paderbornensium est. Ut nunc multum hi exerrent, qui Alifonis castellum ad *Isalam* flumen quærunt, & *Iselburgum* pro Alifone obtrudunt; aut qui ad Luppia & Rheni confluentes *Wesaliam* audent interpretari: erroris illi comitem sequuntur Ptolomæum, qui more suo multa in Germaniâ perturbando Alifonem Rheni ripæ apposuit. At Velleius, qui castra Tiberij ad Luppia fontes, ubi nunc *Lippspringæ* oppidum est, locata memorat, ibidem & Alifonis castellum visus est ponere; quod à clade Varianâ propè saltus *Tentoburgenses*, immissis illico Germanorum copiis obsessum est. Sed Velleium tam facile cum Dione conciliaveris, quam propè inter se sunt fontes Luppia & confluentes Luppia & Alifonis. In eodem enim complexu locorum intra unam propè Leucam fontes Luppia; & trium hic amnium, *Padera*, *Luppia*, et *Alifonis* ad castellum Alifonis confluxus. Proinde & Tacitus castellum Alifonis non Luppia fontibus, sed *Luppia* oppositum scribit, qui ab hoc amnium concursu confluxuque iusti tandem fluminis nomen obtinet. Nec minuta hæc Romani auctores tam exactè tradiderunt. Quin ne *Padera* quidem nomen, triplo prorumpentibus aquis auctioris, ab ullo scriptore Romano accepimus à Luppia fontibus distinctum: seu quòd fontes alveosque pro iisdem habuerint; seu quòd brevi intervallo fluxuque à fontibus suis in unum alveum amnemque misceantur: & *Padera* multo nobilior fluvius in connubio confluxuque amnium nomen amittat cedatq; Luppia.

Sed Tacitus, dum *cuncta inter castellum, Alifonem ac Rhenum novis aggeribus à Germanico permunita* scribit, novum scopulum objicit, in quo eruditi viri se multum colliserunt: utrumne hæc tria distinguenda sint, castellum, Aliso & Rhenus: an *Castellum et Aliso* pro eodem accipienda? imò verò, inquit Vetrannius ac Lipsius: Nam aliud *Castellum*, aliud *Aliso* fluvius, cui nunc *Alme* nomen est, aliud *Rhenus*. At nihil ex Dione clariùs, qui castellum inter Alifonis & Luppia confluentes à Druso structum exsertè scribit. Quod ergo Castellum nomen quærît Cluverius? aut quomodo Velleius à clade Varianâ obsessos Alifone Romanos perhibet, si Aliso non est ipsum castellum? Sed facile hæc composueris, si uno *Alifonis* nomine simul Castellum, simul Alifonis fluvium significari dicas. Multa sunt hujusmodi. *Amisia* Tacito flumen, & vicus *Amisia*; perinde ut *Fulda*, *Lippia*, multaque alia nomina fluvium & oppidum sonant: de quibus supervacaneum tricare, nisi quibus id pro ingenio lubet. Imò quod castelli in Cattis nomen, quod Dio memorat, nec alio certo nomine designat? certum castellum, incertum nomen, utrumq; in Alifonis castello certum possidemus. Hic situs loci inter ample-

Tacitus lib.
2. annal.

xus trium annium, Paderæ, Luppia, & Alifonis, in editiore tumulo & loco circum à natura ficto factoque, incertum utrumne ad amœnitatem jucundior, an ad castelli munimentum opportunior. Castra Drusi, quæ toties inde à Varo, Tiberio, Germanico, frequentata, in conspectu castelli posita fuisse, cum prisca ostendunt vestigia, tum vetustissimus hujus Diœcesis pagus *Elsen*, qui ab *Alifone*, seu ab *Elifone*, ut à Græcis scriptoribus nuncupatur, nomen hodiernum retinet: modico is spatio abruptus à castelli loco, situsque in assurgente leniter clivo, & centum fontibus à latere scaturientibus salubris opportunusque aquationi militum: circum prata, silvæ, agri frumentarij per subjectam montium Teutonicorum planitiem, castrorum invitamenta, quæ amplo illic spatio dimensa, ad ternas quaternasque legiones, qualia Vetera, ceteraque ad Rhenum castra fuisse constat, capiendas. Et quia tum æstiva, tum hyberna fuere, spatium illud inter castra & castellum frequentibus domicilijs excultum, habitatumque creditur; ut vel inde Ptolomæus Alifonem inter Germaniæ urbes recensuerit, si non quandoque etiam castra circum Paderæ fontes eodem propè intervallo à castro disiti collocata fuerint; ut castra castellaque plerumque oppidorum feminaria, & origines urbium memorantur. Sanè non locus ullus Westfalicae Caroli M. accessu, castrisque circumpositis frequentior, quàm *Paderborna*; qui & *vias Romanorum militares*, & loca castrorum plerumque secutus. Romani exinde, qui Drusi bellum excipere, sæpe è castris veteribus, ubi nunc Sanctensis est civitas, transmissio ad Westfaliam Rheno, secundum Lippia ripas exercitus ad Alifonem traduxere: & quantum paludibus & saltibus humidis impeditum fuit iter, exaggerarunt vias, palis trabibusque ad marginandum defixis. Itaper pontes longos (à quibus *Delbruggiam* patrium Germanumque nomen retinere volunt) ad Alifonis castra perventum est. Genus hoc viarum militarium, quos aggeres & limites dixere, primum L. Domitius, cum Augusti auspicijs militaret, reperisse fertur ad transitum per humentia hujus regionis loca; quod deinde Drusus continente magis tractu à castris veteribus, & ab Rheno per Cæsiam silvam, Monasteriensem videlicet & Paderbornensem Diœcesin, secundum Luppia ripas ad castellum Alifonis duxit: quam deinde viam tenuit Tiberius, & post Germanicus Cæsar, exercitum ad fontes Luppia & Castellum Alifonis traducendo. Sed illustrius inde Castellum Alifonis nomen à Vari tribunali, castris Tiberij & Germanici, Ara Drusi, tumulis militum, equitum decursionibus, obsidione Germanorum, quæ in tempore memorabuntur. Celebris nostræ ætate castellum Alifonis non tam fecit, quam refecit *FERDINANDUS* Episcopus ac Princeps *Monumentis* suis *Paderbornensibus*; inter quæ primum ex vetustatis memoria, locum tenet Ali-

fo. Et

Tacitus lib.
4. ann.

Velleius
Tacitus lib.
3. ann.
Cluverius
lib. 3. c. 9.

fo. Et quia vel sola inscriptio eruditione suâ rem omnem comprehendit, hic ego, quod Monumenta hæc comprimis illustranda suscepimus, necesse habui legentium oculis subicere. Cetera quæ hic desiderari possunt, eruditæ Monumentorum Notæ, cum Panegyri Paderbornensi præstabunt.

ALISO. ROMANUS MEMORIÆ. SACRUM

SIQVIS. ALISONEM. VESTIGAS. FORTE. SICAMBRIS
IMPOSITVM. DRVSI. GRANDE. NERONIS. OPVS
QVO. STETERVNT. AQVILAE. POPVLIS. QVO. ROMA. SVBACTIS
IVRA. DEDIT. SIGNIS. PERNICIOSA. SVIS
HVC. PROPERA. PAGO. VICINO. NOMEN. ET. AMNI
HAERET. ADHVC. PRISCIS. NOBILE. TEMPORIBVS
LONGA. DIES. FOSSAS. LATE. COMPLEVIT. ET. HOSTIS
MOENIA. VICTRICI. DIRVIT. ALTA. MANV
FAMA. SVPERSTES. ERIT. SCRIPTORIBVS. AVCTA. LATINIS
DONEC. ALISONIS. LVPPIA. CRESCET. AQVIS

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

ALISONEM ROMANORVM. CASTELLVM. CONTRA
SICAMBROS. A. NERONE. CLAVDIO. DRVSO. AD. LVPPIAE
ET. ALISONIS. CONFLVENTES. POSITVM. RERVM
GESTARVM. GLORIA. CELEBERRIMVM. DIOECESI
SVAE. VINDICAVIT. ET. PATRIAE. ANTIQVITATIS
ILLVSTRANDAE. STVDIO
M. H. P

Conditop per Autumnum Alifonis Castello. Drufus præfidium
impofuit, ad continendas finitimas barbarorum gentes; haud du-
bium, quin ad Amafim & Luppiam (perinde ut ad Vifurgim facti-
tasse memorat Florus) castella hybernaque militum difpofuerit, ne
mili-

Florus l. 4. c. 12. militem præfidiarium longius à Rheno avulsum relinqueret in medio barbarici soli inter validissimas Sicambrorum, Bructerorum, Cattorum & Cheruscorum gentes. Ac facile fuit Romanis implere Germaniam præfidijs legionum, cum toto illo quadriennio belli, quod Drusus gessit cum Germanis, imperium ab alijs ferè exterorum bellis quiesceret. Ideo omnis vis & potentia Romanorum in unam Germaniam debellandam adacta; & nihil aliud concupivit Augustus Cæsar (uti id à Floro assertum est) quam Germaniam in provincie formam redigere. Nec unquam inde Germania atrocius oppugnata, nec violentius pressa in periculum venit, quam hoc Drusi bello. Igitur postquam militem ab Alifone per Cattos in hyberna deduxerat, Drusus Romam profectus est; decretisque à Senatu triumphalibus honoribus ob res præclare gestas, ovans urbem est ingressus. Aucti honores eo nimirum senatus populique decreto, ut bellum Germanicum proconsulari imperio susciperet, quod Julio Antonio & Q. Fabio consulibus ingentibus animis resumpsit. Tiberio fratri bellum Pannonicum & Dalmaticum imperatum: nam ex gentes jam ante subactæ rebellare cœperant. Germania trans Rhenum subigenda supererat; quare Augustus Cæsar, ut propius adesset Germanico bello, Romam in Galliam descendit. Jani templum, quod ob hoc bellum referatum erat, cum claudi vellent, est vetitum. Adeo metus Germanorum, incertusque belli exitus sollicitos habuit Romanos. Sub Veris initium Drusus exercitum omnium validissimum instructissimumque inter Moeni ostia & Ubios (quod inter Mogunciam & Bonnam Rhenum pontibus intraverat) in Cattos traduxit, ratus si hanc gentem una cum Sicambrijs, Cheruscis & Tencteris perdomuisset, in ceteris subigendis levius belli negotium fore. Catti ad Drusi adventum relicto eo agro, quem à Romanis acceperant assignatum, Sicambrijs se conjunxerunt. Simul aliæ gentes in societatem belli excitæ Drusi impetum aliquamdiu sustinuerunt: At extreme multitudo Romanorum obruti, aut in silvas & paludes se abdidere, aut trans Visurgim Albimque profugi ad Suevorum, Marcomannorum, aliarumque gentium auxilia profugerunt. Ita Drusus, quod à Dione scriptum est, partim maleficijs, partim terrore nominis Romani, Cattos, Sicambros, Tencteros, ceterosque inter Visurgim & Rhenum populos perdomuit. Neque dubium omni maleficiorum genere & crudelitate Drusum tractasse imbellem, quæ reperiata est, turbam: Nam vel inde execrabile Drusi nomen mansit apud posteros ad nostram usque ætatem; obtinetque in vulgo mos, ut Daemonem malumque imprecaturi, Drusi id nomine faciant. Eâ enim sævitia tractavit incolas, ferro nimirum, flammâ, cædibus, omnique crudelitatis genere, non sexui, non ætati parcendo, tanquam gentem hæcenus invictam, & Romanis insultantem, funditus excin-

exscindere consilium habuerit : Barbarus ipse magis, quàm barbari, quibus cum bellum erat. Auctor est Strabo, Bruëteros, quæ valida non minus, quàm Catti Sicambrique gens erat, prælio navali in Amisia flumine à Druso victos. Quod utrum ad hanc Drusi expeditionem referam, an ad superiores; & an classem rursus ex Galliâ per Mosam Rhenumque amnes in oceanum & ostium Amasis invexerit, incertum habeo. Id verisimilius, cum hoc anno nullus se barbarorum hostis obtulerit, non modò castellum Alifonis firmatum præsidij; sed plura castella Visurgi, Amasi & Luppiaë imposita esse, ad subigendam Westfaliam regionem (quæ propugnaculum hætenus ceterarum habebatur) ut liberiùs inde trans Visurgim imperium proferretur. Utrumne etiam hac expeditione Visurgim transgressus sit, nemo explicatè prodidit. Agnoscit Dio (qui tamen ceterorum lacunas explevit) multa horum bellorum desiderari, quæ integre constarent, si quatuor Livij, quos de hoc Drusi bello scripsit, aut viginti de bello Germanico Plinij superessent libri. Florus, Suetonius, Eutropius, ceterique abrupta per lacinias tradunt, sine temporum ordine. Bellis hoc anno feliciter confectis, Drusus legiones apud Germanos in hibernaculis reliquit, ceterum exercitum per Rheni flumen ad citerioris Germaniæ Galliæque hiberna reduxit. Inde Augustus cum privignis Tiberio & Druso Romam se retulit, magnâque Senatus ac populi Romani lætitiâ ac plausu acceptus est.

Drusus exinde auctus honoribus, & cum L. Quinctio consul renunciatus. Accendit ea dignitas, simulque populi Romani de triumphatâ Germaniâ acclamatio mirificè Drusi animum, quibus juvenis belli gloriæque cupidissimus nihil sollicitiùs habuit, quàm ut bellum superioris anni resumeret. Quarta hæc & confatalis Drusi expeditio fuit, quâ Rhenum trajecit, & in validissimas nationes, Cheruscos, Suevosque ac Sicambros exercitum duxit. Neque enim ita victi erant bellicosi hi populi, quin animos etiam ferociores resumerent à cladibus, atque ad arma rursus vindiciasque convolarent. Quippe, ut Florus scripsit, *viginti Romanorum centurionibus incrematis, hoc velut Sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione dividerent. Cherusci equos; Suevi aurum et argentum; Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum.* Drusus namque Cat-
torum & Sicambrorum fines per initia veris ingressus, obviam quæque sine magno labore subegit, congressosque præliis haud incruentâ victoriâ superavit. Inde in Suevos digressus, ac mox reflexo itinere in Cheruscos, Visurgim transijt, omniaque latè per populando, ad Albim pervenit. Itaque victor Drusus, equos, pecora, torques eorum, ipsosque præda divisit & vendidit. Drusus interim ad Albim substitit cum exercitu, nec ultro ausus est intrare Germaniam. Quanquam Domitius Ahenobarbus Neronis Imperatoris avus, ut Tacitus est auctor,

Strabo l. 7.

Ao. V. C.

DECEXLIV.

Ante
Christum
8.

Brooverus
lib. 1. ann.

Trev.
Calvisius.

IV. Drusi
expeditio
in Germaniam, quæ
& ultima
& fatalis
illi fuit.

Florus l. 4.
c. 12.

Dio lib. 55

Eutropius
lib. 7.

Tacitus lib. 4. ann. c. 44. Lipsius. auctor, Drusi, ut credibile est, legatus, *flumen Albi transcenderit; longius penetratâ Germaniâ, quàm quisquam priorum; easque ob res insignia triumphalia adeptus sit.* Sed Albi fatalis Drusi terminus: Nam ibi dum consistit, admirans amplitudinem Germaniæ, & gentium adhuc restantium bellicosarum multitudinem hætenus inexploratam:

Suetonius in claudio c. 1. Dio lib. 55. Mulier quædam humanâ specie amplior se Druso offert, & sermone latino affata; quo te, inquit, *Druse* in explebilis tua cupiditas agit? non tibi satis hæc omnia videre? Quin tu abi retrò: jam enim & operum tuorum, & vitæ terminus tibi instat. Drusus, seu malus ille genius fuerit, seu inane spectrum imaginationi objectum, haud leviter consternatus, actusque retrò cum exercitu movit. Haud multò post in itinere morbo correptus, ac priusquam à Sala fluvio Rhenum contingeret, in æstivis castris, quæ ob id *scelerata* sunt dicta, magno militum dolore ac luctu è vivis excessit. Qui Livij Epitomen dedit, ex fractura, equo super crus ejus collapsò, tricesimo die, quo id acciderat, extinctum tradit anno ætatis xxx. Tam brevis plerumque vita hominum, per innocentium sanguinem sævientium. Reperio, qui ad Isalam fluvium, quòd is Sala etiam appellatus fuerit, intra Westfalicæ fines exspirasse velint. At Strabo, qui hæc memorat, diversus: nam postquam Amisiam, Visurgim & Luppiam percensuisset, *est et Sala fluvius, inquit, inter quem et Rhenum bellum felici successu gerens obiit Drusus Germanicus.* Quod autem bellum inter Rhenum & Isalam (quale inter Rhenum & Salam cum Chattis & Suevis habuit) tum gestum sit à Druso, nemo prodidit. Cadaver rectâ Mogunciacum deportatum. Ibi celebre monumentum cenotaphiumque, cujus vestigia hodie dum extant, araque Drusi à militibus ad Rhenum est posita: qualis & ad Alifonem apud nos statim ab excessu *Drusi ara*, præfidiariorum legionumque operâ, constructa, quæ post cladem Varianam à barbaris disjecta, restitutaque est à Germanico filio; ut tempore memorabitur. Tanta ducis sui apud milites veneratio amorque erat, & tam celebre Castellum Alifonis: ubi hybernantes legiones tanquam in sede belli Germanici hæc ad famam mortis crexerunt. Nam qui arcus triumphales, statuæ, fornices & honores Romæ in funere Drusi sint exstructi, supervacaneum est referre. Tiberius ad famam ægrotantis Drusi in Germaniam acceleravit, trahentemque adhuc animam reperit. At non alius Drusi mortem acerbius sensit, quàm Augustus Cæsar: ferturque dixisse, plus se ex funere ejus tristitiæ, quàm ex omnibus victorijs commodi percepisse: Seu quòd ex Liviâ creditus illum suscepisse; seu quòd per hunc Germaniam subigendam sperarit, successoremque designarit. Sanè bellicis virtutibus operibusque nemo tum Druso præstantior in Republicâ est habitus. Nec Germaniam adhuc ullus Romanorum potentius subegerat, brevi in provincia

Seneca in consol. ad Polybiam.

Serrarius in Mogunciac. Dio lib. 55. Eutropius lib. 7. Suetonius in Claudio Tacitus l. 2. ann. c. 7.

provinciae formam cessuram, si vita juveni mansisset longior. Unde Germanici cognomento, quod primus in familiam invexit, ob debellatos tot Germaniæ populos, à Senatu populoque Romano, tanquam alter Africanus Asiaticusque Scipio exornatus. Inter militia ejus opera comprimis castella, frenapopulorum, & perfugia exercitus, receptacula militum. Quippe ut Florus disertè: *In tutelam provinciarum præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim.* Nam per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit: *In rivum atque in accessum ad id tempus Hercynium saltum patefecit.* Quanquam, quæ ad Albim & Visurgim posuerit castella, vetustas obscuravit. Unicum Alifonis castellum ad Luppiæ & Alifonis confluentes, celeberrimum omnium in Germaniâ, scriptorum nobis memoria servavit. Nec dubium, ut diximus, quin plura etiam ad Luppiam atque Amasim per Westfalicæ regionem castella collocavit; quorum nulla apud scriptores, etiam Dionis ævo, memoria relicta est. Loca, inquit ille, *quædam Germaniæ, (cum primis inter Visurgim & Rhenum) Romani tenebant, non simul, sed ut forte subacta fuerant hinc inde, unde in historiis eorum nulla mentio. Iis in locis Romani milites hiberna habebant, urbes condebant, eorum mores jam barbari accipiebant, in forum (quale Varus consul apud Alifonem aperuit) conveniebant, congressusque cum illis pacatos habebant.* Ac tametsi Romani milites, Druso Cæsare, Germaniam interiorem, quam tum exploratam primum habuere; tentarint intrare, cuperentque trans Albim proferre bella; Augustus tamen in præsens statuit populos ultra Albim sitos, ac nihil armis intra Imperium molientes, ad Societatem belli potius invitandos esse, quàm maleficio, prolatisque armis irritandos: quòd consultius haberet eam Germaniæ partem, quam inter Rhenum & Visurgim tenerent, armis prius tueri firmareque præsidij; & si fata fortunaque juvarent, in provinciæ formam redigere.

Sublato, ut diximus Druso, Cæsar Augustus ob luctum aliquamdiu urbe abstinuit; quo deinde posito, ad urbem redijt. Ac licet magna pars anni in componendâ Republicâ consumptâ, C. Martio Censorino & Asinio Gallo consulibus, quòd à morte Drusi omnia conturbata fluctuarent; nihil interim sollicitius sumptum, quàm bellum Germanicum. Instauratus omni apparatu exercitus: auctæ suis supplementis legiones: data largiora militi stipendia: designatus in proximum annum consul Tiberius, quem ante bello Pannonico ac Dalmatico præfecerat. Hunc belli gloria clarum, carumque militi, in locum Drusi fratris Cæsar Augustus belli Germanici imperatorem dixit. Additus Cajus Cæsar ex filiâ nepos ad experimentâ belli faciendâ, & venerationem regnatricis domus splendoremque militiae. Et Tiberius eò inflammatus bellum sumpsit, quò recentius vindictæ vulnus ex fratris morte inter Germanos extincti urebat. Gloria

Numismata Imperat.

Apud Joan. Vaillant

tom. 1. p. 11.

Et tom. 2. p.

27.

Carol. Patin.

num p. 5.

Florus lib.

4. c. 12.

Diol. lib. 56.

Strabon. 7.

Sueton. in

Augusto.

An. V. C.

DCCXLV.

Ante

Christum

7.

Dio lib. 55.

Velleius.

Suetonius.

Calvisius.

Tiberius

in locum

Drusi

subroga-

tur ab Au-

gusto.

E

etiam

I. Tiberij etiam stimulos ex affectatione Germanici nominis credebatur addi-
expeditio tura: ut quam gentem primus omnium Drusus cœperat tam foeli-
in Germa- cibis auspicijs domare, frater debellaret.
niam.

Aperto per veris tempus anno, Tiberius cum instructissimo ex-
ercitu per vestigia fratris ad Rhenum movet; sed cautè admodum,
multoque remissiore in bellum animo, quàm Drusus. Germani post-
quam omnem belli molem in se verti didicere, legatos mittunt pa-
cem rogatum; quam cum ex ingratis conditionibus pro voto non
impetrarent, ausi sunt etiam post tot Drusi clades arma ostentare.
Strabo l. 7. Tiberius transito Rheno primum in Sicambros duxit exercitum: seu
quod ea gens ab Luppia usque fontibus ad Rhenum diffusa *Melone*
duce initium belli fecerat; seu quod inquietissima hæc validissimaq;
ceteras traheret, omnium, quæ hæctenus fere gesta sunt, bellorum
conciatatrix. Tiberius ut semel à radice malum evelleret, ducto in
eos exercitu in deditionem accepit: & quantum inter eos repertum
est armatorum inermiumque hominum cum uxoribus & liberis in
alteram Rheni ripam transportavit; sedesque illis in Galliæ solo ad
littus Rheni à Romanis attributa est, ubi freno stringi poterant in-
ter validiora Romanorum præsidia. Suetonius horum deditorum
translatorumque numerum xl. millium Sicambrorum censet. Tac-
itus gentem Sicambrorum penitus excisam perhibet. At Strabonem
si consulas, non id Sicambrorum fuit excidium, quin portio aliqua
in antiquis sedibus relicta sit. Unde enim *Dentorix* Sicambrorum
princeps à Germanico post Cæsare debellatus, & Romam in trium-
phum ductus? Unde Franci post, quos magnam partem ex Sicam-
bris coaluisse tradunt scriptores, si gens prorsus excisa fuit? Unde, qui
Domitiano Cæsare *crinibus in nodum tortis venere Sicambri*? Unde, qui
Honorij principatu *ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri cæsa-*
riem? Fateor equidem proximis bellis, quæ Tiberius, proximique
Romanorum Cæsares gessere cum Germanis, à Tacito nullam Si-
cambrorum mentionem fieri, ne civili quidem bello; quo tamen
Bructeri, Tencteri, ceterique trans Rhenani populi toties memoran-
tur. Sed per id tempus gens illa pressa latuerit sub Romanorum iugo,
donec sensim in utrâq; Rheni ripa revalesceret, & Francorum post ex-
ordijs in eandem sese belli Societatem cum ceteris Germaniæ popu-
lis conjungeret, serò tandem ulturâ Romanorum inclementiam &
servitutem.

Extinctis adhuc modum Sicambris, bellicosissimâ gente, quæ
hæctenus tot armis Romanos fatigaverat, quæque maximam Dice-
cesis Paderbornensis partem incoluerat, alijs deinde ex vicinis genti-
bus in eorum sedes deductis *Tiberius victor omnes Germaniæ partes, ni-*
mirum inter Rhenum & Visurgim, sine ullo detrimento commissi exerci-
tus peragravit, quod præcipuè huic duci semper cura fuit: et sic perdomuit
eam,

Suetonius
in Tib. c. 9.
Tacitus lib.
12. ann. c. 39.
Aurelius
victor in
Augusto.
Strabo l. 7.
Martialis
in carm. ad
Domit.
Claudianus
Paneg. de
iv. Consul.
Honorij.

Velleius, l. 2.

eam, ut in formam pene stipendiariæ redigeret provinciam. Nec enim genti libertatis retinentissimæ ausus totam tributi servitutem imponere; Nimirum quia Castella & hiberna in modum oppidorum atque urbium Romani inter hos populos tenebant, sensim ad usum & consuetudinem Romanorum Gallorumque traduci posse credebant, ut barbaris exuti moribus sese in tutelam & fidem Romanæ Reipublicæ darent. Quodque Drusus sævitiam perfringere non potuit, Tiberius humanitate & mititate conficiendum sperabat. Utrumne hac expeditione suâ Tiberius Visurgim transgressus ad Albim penetrarit, (quod quidam recentiorum scripsere) neque Dio Cassius, neque veterum quisquam tradidit. Alisonem certè Drusi fratris præclarissimum in hisce locis castelli opus invisisse, & præsidia confirmasse, haud dubitaverim. His ad tutelam & securitatem Germaniæ compositis, exercitum per Rhenum reduxit in Galliam; ipse Romam profectus: & ob ea, quæ à se gesta perscripserat, alter illi triumphus cum altero consulatu oblatus est, quem cum Calpurnio Pisone iniit. Triumphus hic Tiberij, quem post Pannonicum gessit alterum, ob devictas Germaniæ gentes magnificus ac superbus fuit. Producti ante coronatos equos captivi Germanorum reges, vinculis onerati: simul & longus captivorum ordo, homines truci & feroci aspectu, squalidis comis, ac minas adhuc spirantes in Romanos. quippe quàm ægre domi servitutem, tam indignè ferebant se in ludibrium populi Romani produci. Sed multò indignius spectaculum, ipsam Germaniam abs se inter devictas orbis Romani provincias repræsentari, supplicique genu procumbere ante debellatorem Augustum & Tiberium, & colla sua præbere Romanis calcanda. Ad hunc modum effigies regionum, præliorum, oppidorum, castellorum, montium, amnium & lacuum, ac devictorum populorum introductæ, oblataque spectantium oculis singulorum imagines: ipse Rhenus decor sanguine, fractis cornibus caput sub arundine posuisse visus. Superba hæc signa sequebatur Tiberius inter militum lauro coronatorum civiumque acclamationes, curru triumphali in vectus in Capitolium, Jovi vota soluturus.

Peracto triumpho, Tiberius Senatum in Capitolio; Livia seorsim matronas epulo excepit. Quæ ab Ovidio poetico magis ingenio quàm historico memorantur; nondum enim Germania nostra in eam sortem & Romanæ provinciæ servitutem venerat. Florum potius audias, qui *triumphatam magis, quàm debellatam pronunciat.* Augusti id Tiberijque ostentationi datum; quales triumphos, victorij ac rebus gestis inanes, Caligulam, Neronem, aliosque post Cæsares ad populi imposturam, & sui potius quàm devictarum gentium ludibrium egisse, memorabimus. Cautior Augustus, cui cum idem triumphus oblatus esset à Senatu, hæc inania rejecit.

Enim verò quàm vana hæc Tiberij Romæ fuerit ostentatio, factis insequens annus testatur. Vix ille triumphârat, cum exortis rursus in Germania motibus, in provinciam est revocatus: eductoque ex hybernis exercitu, denuò ad Rhenum contendit. Testem hujus secundæ expeditionis Dionem Cassium habemus. Quinam verò hi motus fuerint, quarumve gentium, neque Dio, neque veterum quisquam pròdidit: nec magnopere interesse rati, quòd Dio Cassius nihil hoc anno memorabile in Germania actum fateatur; seu quòd Germani ad Tiberij adventum conquieverint, pacemque coluerint, quâ Florus ab excessu Drusi in alios homines mutatos perhibet, *tanquam alia terra, cælum ipsum mitius molliusque solito videretur*; seu quòd Tiberius abruptâ belli Germanici præfecturâ, mox omni etiam se Reipublicæ munere exuerit. Quâ animi perturbatione in insulam Rhodum secessit ad privatâ vitæ genus, in quâ septennium commoratus, specie quidem quietis, tanquam à laboribus bellicis vacaturus, re autem Juliæ conjugis, quæ Augusti filia erat, tædio, & Caji Lucijque Cæsarum æmulatione. Hos enim juvenes ex Agrippa & Julia ortos in familiam Cæsarum induxerat Augustus, & in spem successionis, ex propiore sanguinis nexu, à Drusi morte efferre cœperat. Abeuntem Tiberium frustra Augustus, Livia Mater, & Senatus retinere conati. Adeo fulgor orientium juvenum perstrinxerat Tiberij oculos in invidiam, animumque ejus in mœrorem, & pertinaciam abjecerat. Ejus in Rhodum discessu, Germania aversis domitoris sui oculis primum respirare, ac deinde rebellare etiam cœpit. Sed annis abhinc ad CHRISTI ortum, & post hunc aliquot, magnum scriptorum silentium: ut ne historia quidem Romana habeat, unde magnopere illustrari possit. Nimirum præter leves motus, quos præfides utriusque Belgicæ, & ad Rhenum præfecti compresserunt, alta ubique pax erat, & gentium quies per Romanum Imperium, omni studio ab Augusto Cæsare quæsita, & CHRISTO novo pacis principi nascituro parata: quam & Germani coluerunt, recepti in amicitiam Romanæ Reipublicæ; postquam excisis propè Sicambri, Suevi, Catti, Tencteri ceteræque gentium cælorum captivorumque multitudine exhausti enervatique, respirare quàm bellare maluerunt. Ac nisi nos Eutropius fallat, bello hoc, quòd Drusus Tiberiusque fratres gessere cum Germanis intra Albim & Rhenum, *quadraginta millia captivorum* Augustus Cæsar ex Germania transtulit, & super Rheni ripam in Galliâ collocavit.

Eutropius
in Augusto.

Annus tandem omnium mortalium immortaliumque votis aderat expectatissimus, quo CHRISTUS Filius DEI, illibatâ Mariæ Matris Virginitate, 25. Decembris natus: ac deinde octavo post die, primo videlicet Januarij, circumcisis initium anni sanguine suo consecravit. Erat hic annus, censente Baronio aliisque, urbis Romæ condi-

conditæ septingentesimus, quinquagesimus secundus, imperij Octaviani Augusti quadragesimus secundus, consulatus ejus, quem cum Plautio Silvano iniit, decimus tertius; à quo CHRISTI anno & nos deinceps historiam nostram pertexemus.

Bellum Germanicum, quod supra intermissum diximus, primis Annus
statim post CHRISTI natalem annis exarsit tanquam cum fatali bel- Christi 1.
lorum gente, quæ Romanum Imperium unà cum barbaris populis 2.
ad ruinam suam fatigatura erat. Coepit id triennio ante, quàm Tibe- Augusti
rius ex Rhodi secessu redituque ad urbem, rursus in Germaniam ab Imp. 42.
Augusto mitteretur; quemadmodum id à Velleio scriptum, ge- 43.
stumque est Cajo Cæsare, & Lucio Æmilio consulibus. Germanæ
nimirum gentes trans Rhenum magis pressæ, quàm perdomitæ, tri-
umphatæque magis quàm victæ, ægre patiebantur se tributarias
fieri, in eamque servitutem detrudi, ex quâ citeriorem Germaniam
Galliamque indies intuebantur. Nam quò, inquiebant, illa Castel-
la ubique ad visurgim, Luppianam et Anasim structa? nisi ut frena sint populo-
rum, vincula servitutis, quæ in dies præmuniuntur, præsidisque augentur?
Quò hiberna tanto onere alendi, quanta spoliandi libidine? Quò tributo-
rum initia? nisi ut totam demum servitutem imponant. Omne frumen-
tum et annonam convehi ad horrea præsidiorum, ut post bona fortunasque
ipsa demum corpora servituti subdant. Quorsum tot millia Sicambrorum
in Galliam transportata? tot millia captivorum dispersa per provincias,
nisi ut exulum agri dividantur in militum possessiones, et militem nullum
inter se videant, nisi exterum et ignota linguæ? Aut quis præfectorum
avaritiam, militum rapacitatem, præsidum dominatum unquam expleat,
nisi liberæ gentes in mancipia Romanorum transeant? quæ ne reges et bel-
liduces inter se patiantur, nisi annuos et temporaneos, qui cum militiâ prin-
cipatum ponant. Hactenus se aliis nationibus imperitasse, bellumque
æmula virtute ac potentiâ Romanis intulisse: nunc imperia accipere, ve-
ligali pendere, liberos suos aut in servitium Romanorum, aut belli, quo se
opprimant, usum enutrire. Hactenus omnium gentium fortissimos habitos
Germanos, unamque apud ipsos fortitudinis matrem insitam fuisse liber-
tatem, qua nulli mortalium cedant, nec cedere possint: exui servitute et
recipi omnia posse, si conspirent singuli, audeant omnes, spem libertatis
ostendi ex morte Drusi, discessu Tiberii, Augusti senio, à quo rapacissimi
tantum præsidēs mittantur, specie ad Rheni limitem custodiendum, quem
toties majores transierant, re autem totius Gallia et Germania affectatione;
sed nunc hostem primum ex visceribus Germania depellendum. * Hæc &
similia consilijs agitabantur inter primores, querelis inter populum;
quibus pristina accensâ audacia, ut ad arma convolarent. Belgicæ
tum præfectus erat M. Vinitius, quo immensum illud Germaniæ
bellum exarsit; id à Vinitio quibusdam in locis gestum, quibusdam
sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei speciosissima inscri-
ptione

*M. Vini-
tius Pre-
fes Belgi-
cæ bellū
adversus
Germa-
nos su-
stentat.

An. Chri-
sti 3. & 4.
Augusti
Imp. 44.
45.
Velleius 1.2.

ptione operum ornamenta triumphalia. Bellum id Velleius verbo perstrinxit magis, quam descriptum reliquit, à quo multa exactiora desiderantur, cum is per hæc tempora equitum præfectus missus in Germaniam per novem continuos annos adiutor spectatorque fuerit. Sanè immensa bella non tam paucis verbis absolvuntur; neq; in locum Vinitij Tiberium Cæsarem cum instructissimo exercitu, & totius Imperij viribus adversus Germanos revocare necesse fuisset, ut quod affectum erat bellum, penderetque incerto eventu, Tiberius conficeret. Jam Cajus & Lucius Cæsares extincti erant, alter in urbe Lyciæ, alter Marsiliæ, & cum his æmulationis flamma. Jam Tiberius ex Rhodi secessu Romam redierat cum magnâ Augusti Cæsaris & populi Romani lætitiâ: cui mox post Vinitium Germaniæ bellum impositum. Nec enim vindicem custodemq; Imperij sui diu commorari in urbe sustinuit patria, nec periculum, quod à Germanis imminerebat. Ac priusquam Augustus mitteret in Germaniam, adoptavit Tiberium, & tribuniâ potestate in decennium auxit. Veritus tamen, ne & is aliquando elatus animo ad res novas confurgeret, Germanicum Drusi filium ei vicissim adoptandum dedit firmioris obsequij auctoramento, tametsi jam Tiberio filius in successionem natus esset. Tantum amoris Drusi, & Germanici virtuti, quam bellis Germanicis post multò testationem fecit, tribuit Augustus. Tiberius postquam veris initio Galliam ingressus cum Sentio Saturnio consulari legato, incredibile quantalætiat, & quàm faustis acclamationibus inter gratulationes à militibus sit exceptus. *Videmus te, inquit, Imperator, saluum recipimus; ac deinde, ego tecum, Imperator, in Armenia; ego in Rhetia fui: ego à te in Vindeliciis, ego in Pannonia, ego in Germaniâ donatus sum.* Quò nos duces, veterem Imperatorem sequemur milites tui. Postquam Rheno transmissus exercitus, intrata ad Alifonem usque Germania. Vellei verbis res à Tiberio gestas prosequar: *Subacti Caninesates. Brucleri, Angriuarii, receptæ Cherusciæ gentes, et annis mox nostrâ clade nobilis transitus Visurgis; penetrata ulteriora: cum omnem partem asperrimi et periculossissimi belli Cæsar vindicaret; in iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum præfecisset. ... Anni ejus æstiva usque in menscm Decembrem producta, immanis emolumentum victoriæ fecere. Sed pietas sua Cæsarem, penè obstructis hyeme Alpibus, in urbem retraxit.* At priusquam hoc anno reliquum exercitum reduceret trans Rhenum Tiberius, in mediis Germaniæ finibus ad caput Juliæ fluminis hiberna digrediens, Princeps locavit. Ita quidem magnificè Velleius. At quod Juliæ illud flumen in his finibus, nisi Luppia? quod vitio exscriptorum irrepsit, & dudum eruditi viri emendârunt. Imo quis Erygius annis apud Dionem, quem hac ipsa expeditione ad Albim progressus Tiberius transijt, nisi Visurgis? pari exscriptorum errore, qui ex Græco Sermone, quo

III. Tiberij expeditionis in Germaniam.

An. Christi 5. 6. 7. Augusti Imp. 46. 47. 48. Velleius l. 2. Dio lib. 55.

* al. Atina-rij.

Tiberius Cæsar castra ponit ad Luppia fontes. Lipsius in Vell. notis. Xylander in Dionem.

quo hæc Dio scripsit, facile intervenit, nomenque τὰ ἐρύγγας promptè
commutes in τὰ οὐερύγγα fluminis. Nec enim in totâ Germaniâ Trans
Rhenana aut *Julius*, aut *Erygius* fluvius uspiam. Igitur Tiberius ante-
quam cum legionibus ceteris trans Rhenum in hyberna concederet,
hyberna legionum ad caput *Luppiæ* fontis disposuit (si non maximum
exercitus Romani robur collocarit circum *Alisonis* castellum, ubi se-
dem belli, Drusi fratris instituto, esse voluit, ad ferocissimas circum
gentes continendas) hybernisque ad Alisonem regendis impositus
est C. Sentius Saturninus legatus, Quàm igitur celebritatem Aliso-
nis castellum à Drusi opere, hanc à Tiberij hybernis accessuque Ro-
mani exercitus *Paderborna* non immeritò sibi vendicat. ut jam ex
his quoque facile quis intelligat, hoc loco sedem belli à Romanis
delectam. At quò finitè loco Tiberius hæc castra hybernantium
legionum collocarit, haud minus ambigas: utrumnè ad fontes
Luppiæ, qui ad *Lispringæ* oppidum magna aquarum vi ex venis mea-
tibusque subterraneis Teutonicorum montium profiliunt; an ad
Paderæ ortum? ubi admirando magis naturæ opere tot simul fontes
ex visceribus suis terra aperit, majorique prorumpentium aquarum
impetu novum fluvij alveum implet? Sanè *Paderæ* fontium fluvijq;
nemo Romanorum scriptorum perinde ut *Luppiæ* meminit; ut
hos fontes *Paderæ* ac *Luppiæ* eodem simul nomine videantur com-
plexi scriptores Romani. Ac parum arbitror referre utrum sense-
ris, quando, ut suprâ relatum est, inter utriusque fluvij fontes haud
magnum intervallum, qui intra unius alteriusve horæ spatium in
unum mox alveum supra Alisonis castellum concurrunt, infraque
tertius fluvius *Aliso*, quem nunc *Almam* dicimus, miscetur: ubi & *Pa-
dera* prius, post *Aliso* suis amissis nominibus *Luppiæ* tandem justi
fluminis nomen cedunt. Ut jam castra hybernaque Tiberij ac cæ-
terorum inde Romanorum ducum, aut *Paderbornæ* forsitan ad fon-
tes *Paderæ*, aut in vico *Elsen*, centum fontibus amœno, & propè Ali-
sonis castellum sito, collocata dixeris. Verùm cum Velleius ad ca-
put *Luppiæ* fluminis castra Tiberij nobis assignet, lubet hoc loco ad
Tiberij castra hybernaque ex FERDINANDI Episcopi Monumen-
tis doctam & elegantem inscriptionem *Luppiæ* hîc tanquam omni-
um imaginem comprehensionemque interjicere.

Τιβερίου
μέγιστος τῶ
ποταμῶ
πρότερον
μέντε ἐρύ-
γγα, μετὰ
δὲ τῶτο
καὶ τῶ
Αλκίς προ-
εχώρισεν.
Τiberius
ὡςque ad
flumen
primum
Erygrum,
deinde ad
Albim
progres-
sus est.

FONTES. LUPPIÆ MEMORIÆ. SACRUM

LUPPIA. ROMANIS. ANNALIBVS. INCLYTVS. AMNIS
NEC. MINVS. IN. FRANCA. NOBILIS. HISTORIA

HIC

HIC. ORITVR. NOMENQVE. DEDIT. FAMAMQVE. NERONVM
 QVO. SITA. MAIORIS. CASTRA. FVERE. LOCO
 ET. QVEM. CONCILIO. PRO. RELIGIONE. VOCATO
 SAXONIAE. CAROLVM. TER. CELEBRASSE. FERVNT
 DEVENERARE. SACRV. FLV. CAPVT. HOSPE. ET. OLIM
 CELATIS. NILI. PRAEFER. ORIGINIBVS
 QVI. LICET. INNVMERIS. TVMIDVS. PETAT. AMNIBVS. AEQVOR
 FONTE. TAMEN. MAIVS. LVPPIA. NOMEN. HABET

FERDINANDVS. DEI. ET
 APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
 EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIUTOR
 MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
 PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
 FVRSTENBERG

AD. FONTES. LVPPIAE. FLVMINIS. IN. DITIONE
 PADERBORNENSI. SVRGENTIS. ROMANI. EXERCITVS
 HIBERNIS. ET. CAROLI. M. CONCILIIS
 CELEBRATOS
 M. H. P

An. Chri-
 sti 8.
 August.
 Imp. 49.
 IV. Tibe-
 rij expe-
 ditio in
 Germa-
 niam.
 Lib. 2.

Posthiberna Tiberius iterum cum exercitu ex Galliâ & ceterio-
 re Germania educto Rhenum transgreditur, junctis, quæ ad fontes
 Luppia hibernarant, legionibus. Primus belli impetus in *Chaucos*,
 qui rebellarant, factus; in quam rem quoque classis ex Galliâ Belgi-
 caque per mare in ostium Albis inuenta, Drusi institutâ primûm
 ostensaque navigationis viâ, novas copias adjunxit. *Perlustrata* deinde
armis tota Germania est. Magnificè hæc Velleius: *Victa gentes penè*
nomnibus incognita. *Recepta Chaucorum nationes, omnis eorum iuventus,*
infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis,
unâ cum ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine,
ante Imperatoris procubuit tribunal. *Fracti Longobardi, gens etiam Ger-*
manâ feritate ferocior. Denique quod nunquam antea spe conceptum, ne-
 dum opere tentatum erat, ad * *quadragesimum milliarium, à Rheno usque ad*
flumen Albim, qui Senonum Hermundorumq, fines præterfluit, Romanus cum
signis perductus exercitus, et eodem, mirâ felicitate et curâ Ducis, temporum
quoq, observantia, classis, quæ oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito
atque incognito ante mari summine Albi subvecta, plurimarum gentium victo-
ria, cum abundantissimâ rerum omnium copiâ, exercitui Cesarique se junxit.

* al. lect.
 quadrin-
 gentesi-
 mum.

Stabat

Lib. 2.

An. Chri-
sti 9.
August.
Imp. 50.
Velleius l. 2.
V. Tibe-
rij expe-
ditio in
Germa-
niam ad-
versus Ma-
roboduū
Marco-
manno-
rum Re-
gem.

Bojohemum movit: Sentiſus Saturninus juſſus legiones ex hibernis Germaniæ Galliæque trans Rhenum ducere in Cattos, exciſiſque continentibus Hercyniæ ſilvis occurrere. Abrupit hæc conſilia in ipſo apparatu motuque in Germaniam Pannoniæ & Dalmatiæ rebellio, qua Auguſtus Cæſar & tota Italia concuſſa. Nec alia rebellandi cauſa erat, quam quòd tributorum, non minus quàm Germani, impatientes priſtinam libertatem affectarent. Omiſſa igitur Germaniâ, omne belli robur in Pannonos & Dalmatas verſum, revocatusque cum exercitu Tiberius ex Germaniâ, & bello Pannonico impoſitus. Jam enim Auguſto ſuſpectus erat Tiberius, tanquam bellum Germaniæ conſulto traheret, quò diutius ejus ſpecie in armis eſſet; nec illa vis ingenij martiusque vigor in Tiberio, quæ in Druſo erat. Additus Tiberio Germanicus Cæſar Druſi filius, juvenis in omnium virtutum bellicarum exempla genitus, paternæque gloriæ æmulus. Egregia Germanicus hoc bello experimenta cœpit oſtenditque, majora poſt in Germania ex paternis veſtigijs daturus. Tractum hoc bellum in quartum annum, ac pacificatione magis quàm ferro compoſitum. Bato enim Pannonum dux, cum ſe ultro dederet, rogatus à Tiberio, cur Pannonij ac Dalmatiæ tam perfidè ac ferociter rebellarent; *Vos, inquit, Romani in cauſâ eſtis, qui ad gregem veſtrum cuſtodendum non canes, neque paſtores mittitis, ſed lupos.* Ea nimirum præſidium erat avaritia ſævitiaque in ſubjectos ſociosque Romanorum populos.

Hæc inter bella Germanis reſpirandi, armandique ſe pro veteri libertate aſſerenda datum eſt ſpatium, ne ſimilia ceteris in tributorum penſitatione, & Romanorum ſervitute paterentur. Opportunus ad id *Quintilius Varus*, qui poſt Tiberij diſceſſum ex præfecturâ Syriæ evocatus, Galliæ Germaniæque impoſitus eſt præſes, cuſtosque Rhenani limitis; inde per annos aliquot Germanis otium fuit, ſub lento & imbelli præſide. Non ille armis Germaniam domandam cenſuit, ſed mitigandam uſu, conſuetudine, & indulgentiâ: ideo ille condere leges, dicere jura, mores Romanos inducere; perinde ut his artibus Gallorum Belgarumque animi ad Romanorum mores, imperiumque accipiendum traduſti erant; ideo erigere prætoria, condere oppidâ, præmunire caſtella, hyberna trahere, donec memorabili poſt illâ clade à Germanis affectus, quam omnes eorum temporum ſcriptores celebrem fecere; nec ulli explicatius quàm Dio Caſſius, Velleius, Florus ac Tacitus perſcripſere. Horum fide verbisque etiam magnam partem, quia intra hujus Diœceſis fines à Romanis accepta eſt, referre cum primis intereſt; Si de anno cladis prius, quem obſcurum reliquerunt, conveniri poſſit. Reperias enim, ut in monumentis Paderbornenſibus eſt relatum, qui annum cladis ab ortu Chriſti ix. alij x. alij xi. alij xii. cenſent. Sed Tacitus hic nos exped-

dit,

dit, nescio an ab alijs observatus, qui sextum post cladis annum primam Germanici expeditionem in Germaniam tradit; is verò, cum Tiberij Cæsaris imperantis secundus, urbis verò conditæ DCCLXIX. sit, ex quo retro si numeres, conficitur annus V. C. DCCLXIII. Christi verò XII. Rursum Tacitus eadem Cætorum, quæ anno V. C. DCCCIII. facta est, quadragesimum à clade Varianâ asserit. Justa, inquit Lipsius, supputatio, quâ cladis Varianæ annus V. C. DCCLXIII. simul asseritur, P. Cornelio Dolabella, & C. Junio Silano Consulibus, ad quos Consules annumque urbis conditæ, etiam Dio Cassius ac Velleius finem belli Pannonici, & nuntium acceptæ cladis Varianæ referunt. *Tacitus l. 1. ann.* *Tacitus lib. 12. ann.* *Dio Cassius lib. 56.* *Velleius l. 2.* Inde mox etiam triumphus, qui Tiberio & Germanico oblatu erat, ob luctum urbis intermissus, Tiberioque eodem anno Germaniæ præfectura bellumque denuo imperatum. Quod altero dehinc anno, urbis verò conditæ DCCLXIV. M. Æmilio Lepido, & Statilio Taurō Consulibus Tiberius & Germanicus sumpserunt. Cladis diem etsi quotannis mœstum ac lugubrem habere voluerit Augustus, haud minus tamen incertus est, eumque velut ex composito siluere auctores, relaturi si victoriæ ac triumphi fuisset. Tantum Florus subobscurè, Varus, inquit, perditas res, eodem quo Cannensem diem Paulus, et fato est, et animo secutus; at cum ea ad Cannas clades IV. Nonas Sextiles sit accepta, eundem quoque cladis diem à Floro designari volunt; abnuunt id, qui per diem tantummodo cladem notari contendunt; at quid verat utrumque hac voce commonstrari, quando in fastis Romanorum infausti atque atri dies utrumque significant; perinde ut apud Livium clades Cremonensis atque Allienensis eodem die signatur? Et cur Florus hic magis cladem ad Cannas, quàm vel ad Ticinum, vel ad Trebiam, vel ad Trasimenum lacum introducit? nisi ut ex Cannensi clade eundem diem Varianæ adsignet? Sanè tempus anni, quo per æstivos menses Varus ad Alifonem hæsit, & litium causas pro tribunali extraxit, haud multum cladem à Sextili mense disjuxit. Fuit & Augusto Cæsari etiam hic mœstus dies, quòd Augustum menssem suo nomini dicatum clade hac fatalem habuerit; ut vel inde Romani scriptores nefastum hunc diem cum mense tam apertè non consignarint. Sed nunc ipsam cladem Varianam insignemque illam Germanorum victoriam tot scriptoribus memoratam certiùs dicamus, quando inter Romana monumenta resque gestas à priscis hominum locorum gentibus nihil illustrius hæc nostra Diocesis possidet, *Diol. lib. 56.* *Velleius l. 2.* *Florus lib. 4. c. 12.* *Svetonius in August. c. 23.* *In Tiberio c. 17.* *Tacitus lib. 1. ann.* *Plinius l. 7.* *An. Christi 12.* *August.* *Imp. 53.* *Xi phil. in Augusto* *Zonaras in Augusto tom. 2.* *Velleius l. 2.* & lan-

& languidus, animo quàm corpore immobilior, otio magis castrorum quàm bellicis durisque rebus assuetus, pecuniæ cupidissimus. Satis id ex præfecturâ Syriæ cognitum, *quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Suae gentis, quod plerisque insitum, æstimator, alienæ contemptor; *concepit Germanos esse homines barbaros, qui nihil præter vocem membraque haberent:* Quippe qui armis frangi non poterant, ratus posse usu & jure dicendo mitigari. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine verborum, jurisdictione, agendoque pro tribunali ordine habebat æstiva. Nimirum ad castellum Alifonis, ubi castra posuit, Drusi Tiberijque vestigia secutus, qui iisdem in locis castra sua habuerant, ac belli sedem fixerant: inde enim postea dolo Arminij extractus in circumpositos Teutoniæ montes ad fatalem cladem, ubi Romani milites, ut à Dione additum, & suprà à nobis relatum est, hiberna habebant, urbes condebant, *Barbari Romanorum mores accipiebant, in forum conveniebant, congressusque cum illis pacatos agitabant.* Ac tolerata hæc à Barbaris, aut dissimulata, dum ab alijs Romanorum præfectis ex æquo bonoque agebatur; nec gravatè ferre sunt visi, se in leges Romanæ Reipublicæ formari, exuique barbarum vitæ cultum, ut Colonia apud Ubios, ceterisque trans Rhenum oppidis & locis fieri intelligebant; perinde ut inter Pannonios per id tempus non disciplinæ tantummodò, sed & linguæ quoque Romanæ notitia, & literarum usus introductus erat; quibus artibus Romani barbaras gentes potentius, quàm per arma, in obsequium societatemque suæ Reipublicæ componi posse credebant. At postquam Varus non modò prætorium forum, & tribunal hic ad Alifonem inter medios Germanos erigere, convocare populorum cœtus, jus dicere: sed & leges tanquam servituti subjectis imperare; pecunias & tributa tanquam à servis, & servitia ut à mancipiis exigere; superbiam juxta ac sævitiam ostentare cœpit; quasi violentiam Barbarorum licitorum virgis & voce præconis posset inhibere, gentemque hanc perinde ut Syros per avaritiam & dominandi libidinem tractare; Tum verò Germani, *quod nisi expertus quis crediderit, in summâ feritate versutissimi, natumque mendacio genus simulando fictas litium series, et nunc provocantes alter alterum injuriâ, nunc gratias agentes, quod eas Romana justitia finiret, feritasque sua gentis novitate incognitæ disciplinæ mitesceret, et solita armis discerni jure terminarentur, in summam socordiam perducere Quintilium, usq; eò, ut se prætorem urbanum in foro Romano jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet.* Planè hæc Velleium dicere audimus. Quòd autem Germanos natum mendacio genus hominum scribat, abnuimus Germani.

— *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Poëta Romanus hæc verius quàm hic Velleius historicus. Belli causa hic agebatur
justa

justa Germanis, injusta Romanis; nec alia quam dominandi libido, accensa per avaritiam & sævitiam Vari. Postquam ex toga sæviora armis jura viderunt Germani, nec iniquam servitutem à cervicibus aliter depellere licuit, quam militari, concessoque dolo, Varum circumvenère, stolidumque ducem in insidias protraxère; quò constaret ingenia Germanorum non minus, quam eorum arma valere; neque omnem belli artem in Italia nasci. Referam hæc Vellei verbis: *Aut* Lib. 2. *tor repertorque horum Arminius juvenis genere nobilis, Sigimeri principis gentis ejus filius, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, ardorem animi vultu oculisque præferens, assiduus militiæ Romanæ comes, et jam civitatis Romanæ jus, equestremque consecutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est; haud imprudenter speculatus neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; et frequentissimum esse initium calamitatis securitatem. Primò igitur paucos, mox plures in Societatem, consilii recipit. Opprimi posse Romanos, et dicit et persuadet; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem, clarique nominis Segesten indicatur: sed prævalebant jam fata consilij, omnemque animi ejus aciem perstrinxerant: Quippe ita serēs habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut quod accidit, id etiam meritò accidisse videatur, et casus in culpam transeat. Negat igitur se credere, spemque in se benevolentia ex merito æstimare profitetur. Tam secura fuere omnia apud Varum, & tantà fiducia penetraverat animum ducis Arminius, ut ne milites quidem, quod in hostico fieri solet, uno in loco contineret; sed rogatu procerum Germanorum alios militum infirmioribus Germaniæ populis submitteret, alios præsidij causa oppidis vicisque imponeret, alios ad arcendos prædones aut subvehendos commeatus attribueret; & qui hæc ad distrahendum & infirmandum Vari exercitum petebant obtinebantque, ex conspirantium Germanorum procerum numero erant, novo dolo Varum circumvenientium. At nondum Varus Arminij consilij ad opprimendum opportunus erat. Novo igitur & potentiore dolo aggressi Varum, persuadent hostem ex Germanorum copiis collectum haud procul à Visurgi in Teutonicis montium jugis consistere; quam in rem ex composito quidam eminus se ostentabant. Aderat Varo hortator Arminius, ut in hostem cum exercitu moveret, ducem se itineris, & auxilia suorum pollicitus. Ita Varus castris ad Alifonem extractus, progressusque longius per saltus Teutoburgienses, còque securius, quòd per amicorum regiones se crederet procedere. Nam qui ab Rheno statim in Cheruscorum fines & ad flumen Visurgim abductum dicunt, magnopere falluntur, cum æstiva non alibi quam ad Alifonem & sub juga montium Teutonicorum quarenda, quo ex loco Varus Arminij altu intra Teutonicos montes protractus; uti id ex progressu regressuque*

F

Variani

Variani exercitus, & Dionis narratione, quam hic sequimur, æstimare
 pronum erit. Igitur Arminius proceresque Germani cum Romano-
 rum cohortibus prægressi exercitum, delatique per montes Teuto-
 nicos in locum insidiarum, ubi Arminius suas copias abdiderat. Hic
 repente Arminius ceterique procerum ex fictis amicis palàm hostes
 suis se jungunt, converſique in Romanos primùm abrupta agmina
 contrucidant: mox undique ex collium valliumque latebris ac fal-
 tibus dato signo prorumpunt, Romanumque exercitum magnis de-
 trimentis infeſtant. Lento is nimirum & impedito gradu trah-
 batur per saltus & collium anfractus, multumque fatigabatur Ro-
 manus in cædendis arboribus, ad viæ transitus aperiendos. Secuta
 inter currus ingens puerorum, mulierum & calorum turba. Fœ-
 da simul eo die pluvia ventorumque tempeſtas, quibus malis le-
 giones nunc diſtractæ, nunc impeditæ inter lubrica itinerum. Ger-
 mani cum his anguſtijs intercluſum Varum cernerent, multò auda-
 cius collium periti incurrunt, primùmque eminus, & (cum langu-
 diùs ſe defenderent Romani) etiam cominus congreſſi, magnam
 eo die cladem Varo intulere, arborum etiam ſubſidio adjuti, qua-
 rum capita & ramos præfectos in Romanos dejecerunt. Elucta-
 ti dehinc in apertiora collium loca, præmunitis ſe caſtris includunt,
 & poſtridie ordinato magis itinere aliquamdiu progreſſi, iterum in
 ſylvas ſaltusque implexos arbuſtis deferuntur; inhaerent recedenti-
 bus Germani Arminio ductore, & undique coorti illatque magnâ
 clade afficiunt; quòd Romani anguſtijs locorum præpediti con-
 volutique in orbem confertim ſimul in hoſtem pugnarent, nullo
 peditum equitumque ſervato ordine: nec levè minus ab obje-
 ctu implexarum arborum erat impedimentum, quibus tam hoſti-
 um latitantium aſpectus, quàm certus telorum ictus interceptus.
 Excepit hanc diem tertia, quæ Varo tandem fatalis fuit; ubi enim
 cum attritis legionibus emerſerat ex prioribus viarum anguſtijs
 in planitiem montis Teutonici (quæ inter Hornam & Dethmol-
 diam oppida, pari ferè intervallo media interjacet, & circum ſylvis &
 faltibus in modum coronæ incincta, hodie dum ab hac pugna victo-
 riæ campus dicitur) hic Varus poſtremùm caſtra poſuit, valloque &
 munimentis præmuniit, intraque eæ legiones, & omnem militem re-
 cepit. Seu inde ſe ad Alifonis caſtellum ut tutiorem firmioremque
 caſtrorum locum, ſeu ad Aſprenatem avunculum, quem cum dua-
 bus legionibus ad Rheni limitis cuſtodiam reliquerat, ſe recepturus.
 Intercepere hæc Vari conſilia Germani, Arminio hortatore ad præli-
 um. Jam enim Bructerorum, Marſorum, Angrivariorum cetero-
 rumque copijs adeò erat auctus confirmatusque, ut parem ſe ferret
 Romanis, & fortunam belli experiri auderet juvenis ardore animi, fe-
 rociâ gentis, vultu oculisque pugnæ invitamentum. Hoc duce Ger-
 mani

mani, ut convenerat, ex omni parte sylvis & saltibus effusi improvisum in castra Vari impetum faciunt, vallum perumpunt, obvios è stationibus depellunt sternuntque. Romani qui nihil horum circumspexerant, subito metu, & barbarorum undique incurfantium clamore & furore perculsi, perturbatis ordinibus arma rapiunt. Fœda simul dies erat ventorum tempestate, & infusis imbribus, quo cœli malo usus armorum Romanis impeditur, sagittis, pilis, scutisque madentibus: Germanis hæc minùs noxia erant, quòd plerique levis armaturæ, induratisque ad cœli injurias corporibus, pugnarent adversus consternatos. Primo incurfu obrutas legiones perturbant, cædibus grassantur, & ut quemq; ad lanienam magis quàm pugnam casus obtulit, contrucidant. In hac rerum desperatione Varus, cui plus ad moriendum quàm pugnandum animi erat, suo se ense transfodit. Alij dehinc primores acceptis jam vulneribus cùm metuerent, ne aut vivi in hostium potestatem venirent, aut a Barbaris sævum in modum trucidarentur, sibi quisque manus intulerunt. Horum auditâ morte nemo jam etiam eorum, quibus robur adhuc suppetebat, se defendit: alij ducum exemplo se transfodiunt, alij armis abjectis cædi se præbent: nam fugere nemo, etsi maximè vellet, circumventus necessitate poterat. Inter duos castrorum præfectos, quàm clarum exemplum L. Eggius pugnando occubuit, tam turpe Ceionius prodidit; qui, cùm maximam partem absumpsisset acies, auctor deditiois, supplicio, quàm prælio, mori maluit. At Volumnus legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fugâ cum aliis Rhenum petere ingressus est. Quod factum ejus fortuna ultâ est; non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Ad ultimum, qui profugis cælisque præfectis superfuere, pecorum ritu mactati; vitam interim & mortem nunc ira, nunc venia temperabat; paucos fuga subtraxit. Sævitia cum in omnes, tum maximè in causarum patronos exercita, per quos Varus ante sævierat. Nihil illâ cade atrocius cruentiusque, nihil insultatione barbarorum Romanis intolerabilius. Aliis oculos, aliis manus amputabant. Unius os sutum, recisa prius linguâ, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera sibilare desiste. Ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum, ac semivivum hostis feritas laceravit; caput abscissum, latumque ad Maroboduum Marcomannorum ducem, nempe ut similia adversus Romanos ex societate belli auderet; à quo tamen postea missum ad Augustum Cæsarem, gentilis tumuli sepultura honoratum est. Calvus Caelius complexus seriem catenarum, quibus vinctus erat, ita capiti illisit, ut simul sanguinis et cerebri profluvio exspiraret. Signa omnia, et aquila due in barbarorum manus pervenere; tertiam signifer prius, quàm in hostium manus veniret, revulsit, mersamque intra balthæi sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit: Ubi altera à Bructeris, post altera à Maris recepta sit,

Velleius l. 2.

Florus lib. 4. c. 12.

Velleius l. 2.

Velleius l. 2.

Florus l. 4. c. 12.

Velleius l. 2. tempori referam. Ad hunc modum exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortuna circumventus, & trucidatus est. Cæsæ ad internecionem propè legiones tres, totidemque alæ equitum, cohortes sex, auxilia præterea, exauctoratique, qui militarium operum immunes ad prælii tantummodo usum, & extremos casus sepositi castra sequebantur. Ex his si stragem æstimes, supra xx. milia facile militum prostrati. Ignominiosa populo Romano clades,

Tacitus l. 1. ann. quàm nulla post Crassi in Parthis cædem magis exitialis fuit. Quamquam si Dionem convenias, evasere robustiores, quibus elabendi spatium dedit Germanorum in prædam cupiditas. Iram in Romanos vota que ut Barbari explerent, pro ritu gentis affixa sunt truncis arborum cæsorum capita, lucis propinquis extructæ aræ, apud quas tribuni, primores ordinum centuriones mactati, devotæ Marti Dijsque suis victimæ: alij in scrobes & paludes demersi; quidam suspensi ex quercubus & patibulis; alij ad ludibrium circumducti, nullo deditiorum, captorumve discrimine. Quantum à Druso sævitum in Germanos, tantum vindictæ & crudelitatis repensum in Romanos. Non quievit victor Arminius, quippe è vestigio insecutus Romanos, agmen aliud in ericeto Sennæ trucidavit. Servant adhuc villæ binæ sub juga Teutonicorum montium ab ossibus cadaverum nomen, perinde ut gemini rivi per Sennam & Diœcesin Paderbornensem decurrentes, alter rubeus à tabe sanguinis, alter offeus ab injectis cadaveribus posteris appellatur; satisque testantur ossa humana, telorum fragmina, varia armorum genera ac numismata Romanis signis percussa, quæ in campo victoriæ, ceterisque apud nos locis eruuntur. Mox à prælio omnis vis bellica ad castellum Alifonis obfidendum expugnandumque conversa. Perstitit in eo post cladem Lucius Cæditius præfectus castrorum, eorumque, qui unâ circumdati Alifone immensis Germanorum copijs obsidebantur; is imperum Barbarorum fortiter sustinuit. Quippe ut Zonaras præter alios explicatius hæc scripsit: *Barbari post cladem Vari, omnibus munitionibus, una excepta, sunt potiti: quam dum oppugnant, neque Rhenum trajecerunt, neque in Galliam impressionem fecerunt, ac ne castellum illud quidem expugnare potuerunt ex obsidendi imperitiâ et Sagittariorum, quibus Romani utebantur, multitudine, à quibus repulsi multis suorum interfectis. Deinde cum prædiis Rhenum teneri, et Tiberium cum magnis copijs adventare fama allatum fuit, plerique à castello recesserunt, reliqui ne subitis hostium excursionibus infestarentur vias obsederunt, simul obsidione simul penuriâ commeatibus obsessos ad deditionem adacturi.* Id verò castellum quod à clade solum in potestate Romanorum est retentum haud aliud fanè quàm Alifonis dixeris ad confluentes Luppia & Alnæ fluviorum, in subjecta Teutonicorum montium planitie haud procul

cul

cul à loco cladis inter Visurgim ac Rhenum in mediâ Germaniâ, quo nullum celebrius hactenus ex Romanorum historia eâ belli tempestate, hisce in regionibus cognitum est, quod & à clade Vari Germanis copijs obfessum scribit Velleius. At Romani quoad commectus suppetebat, exspectatione auxilij constanter obsidionem tolerabant; post ubi absumptâ annonâ, nec auxilia adfuere, deserto Castello, ferro sibi reditum quærere ad Rhenum consultum habuerunt, speculati ad id noctem ventis & imbris turbidam; ac primas secundasque Germanorum excubias silentiò transgressi, ad tertias demum comprehenduntur; ac parum abfuit, quin omnes ad interuicem delerentur, nisi ipsos Barbaros prædæ cupiditas aliò atque aliò distraxisset, quâ opportunitate expeditissimus quisque sese servavit. Forte tum tubicines signum cursus accinuere, quo cum Germani in suspicionem adventantis hostis venirent, & nox simul tenebras intenderet, Romanos persequi destiterunt. Ita Alifonis Castellum vigesimo demum, ex quo structum erat, anno in Germanorum potestatem venit. Lucius Asprenas, qui legatus sub avunculo suo Varo militabat, narrâ virilique operâ duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tantâ calamitate servavit, maturèque ad hyberna descendendo vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit. At is cum apud Vetera castra, quod nunc oppidum Sanctense est, reputetur constitisse, fugientes ab Amasi & Luppiâ in tutelam suscepit: obstititque ne Arminius victoriâ inflatus Rhenum transcenderet, aut pro libidine ad Rheni ripam grassaretur. Florus hac clade factum memorat, ut Imperium quod in littore Oceani non steterat, in ripâ Rheni fluminis staret. Dio Cassius post cladem Augusto Cæsari renunciata, perhibet Germaniam adhuc præsidio contentam, nec hostem ausum fuisse Rhenum transire. Id verisimilius, Arminium hostes suos longius profecutum esse, & omnem illam viam ad Rhenum usque fugitivorum cœdibus consignasse; quo modo mihi conciliandi videntur, qui cladem Varianam ad montem Strombergensem, haud procul istic à Luppiâ flumine editam tradunt. Tenuis quidem istic rivus Lise in Luppiam influit, unde adsitum Lisebornæ Cœnobium nomen trahit, cumque rivum Alifonem volunt; verum nec ibi celebres Teutonici montes Visurgi prætexti, nec castellum Alifonis ad confluentes Luppiæ & Alifonis. Agmen interim aliquod Romanorum secundum Luppiæ amnem fugitivum ab Arminio ad Strombergam cæsum non abnuerim, perinde ut Warendorpium ad Amasim flumen situm à Vari stativis castrorum nomen fervari volunt. Mihi nunc fatalem cladis locum propè Dethmoldiam in Teutonicis jugis demirari magis lubet, quod istic, ubi Arminius Varum Romanosque devicit, & Germanis amissam gentis libertatem reddidit, eodem propè loco Carolus Magnus ingenti proelio stravit

stravit Widekindum Magnum & rebelles Saxones, libertatemque Christianæ religionis genti sanctissimum donum asseruit. Captivos Romanorum, quos Arminius & Germani abduxere, alios passi sunt precio redimi, eâ tamen lege, ut extra Italiam manerent: *alios etiam, ut Seneca sensit, ex senatorum gradu ad servitia abstractos, pastores gregis, et custodes casularum suarum fecere.* Haud aliter enim Romani captivos Germanorum tractaverant, quos aut inter gladiatores in mutuum necem depugnare adegerant: aut alijs injurijs supplicijsque in probrum gentis affecerant. Tum gentis libertate provocatus Segimundus Segeftis filius, jam ante Sacerdos ad aram Ubiorum creatus, ruptis Vittis profugit ad suos.

At cladis Varianæ nuntius posteaquam Romam perlatus est, incredibile quantum Augustum Cæsarem Urbemque perculerit. Cæsar profecto adeo fuit consternatus, ut veste lacerata, submissoque capillo & barba, caput interdum ex mœrore & indignatione foribus illiserit, vociferans, *Quintili Vare legiones redde.* Quo in luctu per multos continuo menses se domi abdidit, nec in publicum processit, veritus ne Germani Gallique post amissum belli robur factâ conspiratione Italiam irrumperent. Idem à Pannonijs Dacisque metus, crudo adhuc ejus belli vulnere, neque per pacem obducto. Certè triumphus, qui ex hoc bello confecto Tiberio & Germanico decretus erat, ob publicum urbis luctum intermissus. Detergo luctu, comprimisque quod intelligeret L. Asprenatem cum duabus legionibus hac clade intactum atque incolumem adhuc superesse ad Rheni limitem custodiendum, Augustus & Senatus ad faciendam cladem, & securitatem Italiæ atque Urbis omnia convertere: Voti Iudi Jovi opt. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset, quod Cimbrico & Marsico bello in summo discrimine factum: dispositæ per Urbem excubiæ, ne quis se domi tumultus commoveret; prorogatum imperium præsidibus provinciarum, instituti novi delectus militum, armata juvenus urbana; tametsi ea non magni momenti superesset. Et quoniam qui militari erant ætate, dare nomina detrectabant, ex ijs qui nondum trigessimum annum attigerant, quintum quemque, ex natu majoribus decimum quemque, ut fors ducta obtulit, ad militiam evocavit: cum ne sic quidem parerent, alios bonis, quosdam mortem ulcavit. Scriptus & libertinus miles, quo genere militum nonnisi bis ante usus Cæsar, semel ad præsidia coloniarum in Illyrico, iterum hoc Germanico bello ad tutelam Rheni. Qui ex Germanis Gallisque versabantur in Urbe peregrini, complures in insulas amandati. Germani milites, quos supra diximus inter armigeros & custodes corporis ab Augusto adlectos, tum primum exauctorati, jussique Urbe & Italia excedere, tanquam Germani Cimbricum Teutonicumque bellum resumpturi Ita-

Senec. Epist.

47.

Tacitus l. 1.

ann.

Dio lib. 55.

Suetonius in
August.

Dio lib. 56.

Sueton. in
August. c.
25.

ri Italiæ imminerent. Tantum unus Arminius belli fulmen ex longinquo, quantum Hannibal propè trepidationis iniecerat; actumq; fuisset, si tam Galli, Pannonique ac ceteræ ad Danubium & Rhenum gentes, quàm Germani pro libertate conspirassent. His quiescentibus fatis habuit in præsens Arminius & Germaniæ procures Romanos trans Rhenum depulisse, & Germaniæ suæ trans Rhenanæ pristinam libertatem reddidisse. Quo primo militari facto Arminius *liberator Germaniæ* appellatus est. Juvat nunc hanc Varianam cladem & Germanorum victoriam, quam FERDINANDUS Episcopus & Princeps noster, haud minus quàm ceteri scriptores inter Monumenta Paderbornensia celebrem fecit inscripsitque, hoc loco interungere, tanto digniore elogio, quo illustrius à Germani sanguinis Principe genti suæ & posteritati ex profluenti ingenij vena & calamo est consecratum.

CLADES. VARIANA MEMORIÆ. SACRUM

EN. UBI. ROMANÆ. CLADIS. MONVMENTA. SVPERSVNT
VARVS. ET. ARMINIO. STRATUS. AB. HOSTE. IACET
ET. CAMPO. IN. MEDIO. NOTVM. VICTORIA. NOMEN
SERVAT. ADHVC. NOSTRIS. INCLYTA. TEMPORIBVS
AVSPICHS. RAPVIT. PVBES. GERMANA. SECVNDIS
IMPERII. GEMINAS. NOBILE. PIGNVS. AVES
DESINAT. EVPHRATES. PARTHOS. MEMORARE. TRIVMPHOS
CLARIOR. EST. CÆSO. LVPPIA. QVINTILIO
REDDIDIT. ILLE. JOVI. CRASSORVM. SIGNA. LATINO
HIC. AQVILAS. VICTOR. POSSIDET. VSQVE. SVAS

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS. COADIVTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES
PYRMONTANVS. ET. LIBER. BARO. DE
FVRSTENBERG

VARIANÆ. CLADIS. PENE. EXITIABILIS. ROMANIS
CÆSARE. AVGVSTO. AD. TEVTOBVRGIENSEM. SALTVM. INTER
AMISII. ET. LVPPIÆ. FONTES. ARMINIO. DVCE. A. CHERVSCIS
BRVCTERIS. MARSIS. ET. CONTERMINIS. GENTIBVS
ILLATÆ. M. H. P

Ab

Ab hac clade Varianâ, & Germanorum trophæis, id unum egit Augustus Cæsar, ut Germanorum bellum, & Arminij Germanorumque impetum silteret; & quia apud ceteras per Imperium gentes pax & quies armorum erat, eò omnis belli apparatus & cogitatio est versa. Primùmque Tiberius Cæsar, apud quem post Augustum summa erat domi militiæque auctoritas, missus celeriter cum eâ manu & multitudine, quam ex veteranis, urbanâ juventute, & libertinis sorte delegerat: Ac quàm raptus, invitique miles, tam discors subinde & tumultuarius post Augusti excessum. Cum his tumultuarijs copijs Tiberius eodem etiam anno ante hyemem festinavit in Germaniam, nullâ re alia memorabili gestâ, nisi quòd castella præsidiaque ad Rhenum ijs tumultuarijs copijs præmunierit. Inde Romanam est regressus; intellexitque tum coram ab eo Augustus, quod ante per literas docuerat Tiberius, Arminium Rheni transitum non pertentasse, Germanosque intra suos fines se continere; deinde superesse quædam castella in Germania Romanorum præsidij retenta; seu illa in Cattis, sive in Frisiæ oris, Rhenique & Amisiæ ostijs, sive alibi fuerint à Druso istic imposita; Alifonis certè castellum, ut jam diximus, desertum. Neque L. Asprenas quicquam in amissa Germania ausus repetere, cui satis erat Rheni limitem tueri. Nec alia Cæsar Augusti in præsentis rerum perturbatione cura fuit, quàm limitem Rheni præmunire, claustrum adversus Germanos Romani Imperij, quos jam toties aut prædarum cupidine, aut Galliarum affectatione Rhenum transisse noverat. Vel inde jussus ab Augusto Drusus tot castellis Rheni limitem firmare, quorum ille quinquaginta, ut supra diximus, exstruxit. Horum præcipua quæ ad nos pervenere, *Mogunciacum, Antoniacum, Bonna, Colonia Ubiorum, Durnomagus*, quod hodie *Dormagen, Burungum, Nove sum, Gelduba*, paulum supra *Ordingam, Castra Vetera*, eò loci ubi post Sanctense oppidum emerfit; frequens illic & opportunus trajectus Rheni ad influentem Luppiam prope Wesaliam in Bructeros, Usipetes, Tencteros, Sicambros secundum Luppia ripas ad castellum Alifonis; deinde ad Visurgim & medios Germaniæ fines ad interiorem Germaniam debellandam. Altero qui cladem Varianam secutus est anno M. Æmilio & Stabilio Tauro consulibus, omni apparatu bellum ab Augusto Cæsare adversus Arminium Germanosque insumptum, eoque securius & potentius, quòd ceteræ per Imperium nationes toto prope orbe terrarum pacatæ, adhuc quiescerent, *nec ullum eâ tempestate bellum*, ut Auctor est Tacitus, *nisi adversus Germanos, abolendam magis infamiæ ob amissum cum Quintilio Varo exercitum, quàm cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium.* Id bellum clarissimis in Republica Romana Imperatoribus Tiberio & Germanico ab Augusto Cæsare est demandatum; contractisque ex Galliâ & citeriori Germa-

Dio lib. 56.
VI. Tiberij exped-
ditio in
Germaniam.

Velleius 1. 2.

Annus
Christi 13.
Augusti
Imp. 54.
Dio lib. 56.

Tacitus lib. 1. ann.

VII. Tiberij ex-
peditio in
Germaniam.

Germaniâ legionibus, sub vernum tempus itum cum florentissimo exercitu & ingentibus militum animis ad Rhenum. Magnificè de hac expeditione loquentem Velleium audias: dispositos nimirum à Tiberio exercitus, munita præsidia; inde per Rhenum transmissio milite, hostem, qui Cimbricam Teutonicamque minitabatur Italiæ ruinam, depulsum; territum Arminium & procul à Rheno submotum: penetrata interiora Germaniæ, apertos limites, vastatos agros, uistas domus, fusos obvios. Dionem & Suetonium si hæc narrantes legas, vanus assentatione suâ Velleius videbitur. Nec enim tam gloriosa hæc Tiberij expeditio: quippe cum ad Rhenum pervenisset, hæsitavit cum exercitu, incertus metu Germanorum an flumen transiret. Ob id legatus legionis, quod paucos milites cum liberto Tiberij trans Rhenum venatum misisset, ignominiâ notatus. Exploratis omnibus, tandem traduxit exercitum, castris haud procul à Rheni ripâ positus, valloque præmunitis; ipse in cespite nudo sedens cibum sumpsit, & sæpè sine tentorio pernoctavit, in hostem excubans, nec tamen sine periculo; parum enim abfuit, quin à Bruçtero quodam castra ingressus per audaciam hominis occideretur. Nec ultrò intrata Germania, nisi quod vicini circum agri populationibus vexati, proelium nullum confectum, nec ullus subactus populus. Veritus enim Tiberius, ut à Dione relatum, ne si ab Rheno longius procederet, alteram Vari cladem ab Arminio & Germanis referret. Adeò cruenta hæc & tabe adhuc spirantia terrebant vestigia. Longius certè processisset, si Aliso belli superioris sedes retentus fuisset. Ita æstas in castrensi otio consumpta à Tiberio & Germanico; ac ludi tantummodo solennes in honorem natalium Augusti celebrati equestribus centurionum certaminibus; tanquam Germanorum bella inter otium & luxum tractarentur, seu ut seni Augusto, populoque Romano ludificarent juvenes novique Cæsares. Ludis peractis, exercitus in hyberna reductus; Tiberius & Germanicus in Italiam regressi, magnificentissimum non de Germaniâ victâ, sed de Pannoniâ & Dalmatiâ ex superioris belli meritis triumphum duxere. Ita & populo ludificatum. Novies Tiberius gloriatur in epistola se ab Augusto in Germaniam missum: hæc postrema ejus expeditio fuit; Una tantum ob res gestas in Germaniâ triumpho digna reputata à Senatu. Ornamenta tamen triumphalia modò decreta ex Germanicis bellis Tiberio. Augustus cum à clade Varianâ nihil adversus Germanos evincere cerneret, ac ne unam quidem Regionem intra Visurgim & Rhenum tot importatis exercitibus in provinciæ formam redigi posse, fessus bellorum Germanicorum, consultum habuit Imperium Romanum inter præsentis terminos claudere, quod jam tantum terrarum & nationum acquisitum esset, quantum una Respublica, jam sibimet dominandi potentia & amplitudine regionum prægravis, ad-

niam.

Lib. 2.

Diolib. 36.
Sueton. in
Tiber.

Tacitus l. 1.
ann.

Suetonius
in August.
Tacitus l. 1.
ann.

Julianus in
Menippæa.
Lipsius in
notis.

ministrando capere posset; finesque Imperij Euphratem, Danubium, Rhenum & Oceanum designavit. Jam orbis terrarum quantus intra hos terminos stringitur, victus erat: invicta Germania; & caeso etiam Varo, triumphabat victrix, Romanorum aquilis, & signis nondum receptis. Ceterum præter triumphum Tiberius & Germanicus Cæsares Romæ honoribus ornati, tanquam mira patrassent in Germania. Germanicus cum C. Fonteio consul dictus. Augustus Tiberium unamque Agrippam juvenem ex filia nepotem adoptavit, vicissim Germanicum à Tiberio adsciri in adoptionem jussit, ad regnatricem domum firmandam. Rheni limes legatis commissus ad tutelam. Cæsares urbicis capti, Romanis se ludis oblectavere; occiditque Germanicus læto populi spectaculo ducentos leones; tutiora hæc in circo quam in campo Germanorum prælia.

An. Christi
14. &c.
Augusti
Imp. 55.
&c.
Dio lib. 56.

Germanico dehinc & Fonteio Capitone Consulibus, Augustus senio confectus extrema componere cœpit; adeo jam pedes cum viresque omnes destituerant, ne in senatum veniret amplius: & vox, ne proloqui posset. Omnia hinc in Tiberium vergere tanquam in successorem, annis maturum, & multa vitia tegentem animo, quæ cum imperio se prodidere. Quanquam Augustus Successorem Agrippam juvenem ex filia nepotem præ Tiberio privigno designavit. Sed ab eo abhorrebat senatus, ob trucem juvenis indolem & belli inexpertem. Utroque Germanicus bellicâ indole & fortitudine melior, gratioresque senatui ac populo, ob Drusi patris memoriam. At Liviæ artibus, potentis apud Augustum maritum sceminae, his prævaluit Tiberius. Quæta per hæc nonnihil Germania. Nectamen Augustus ita senectute præfractus, quin sub extremum vitæ belli curas resumeret, intento quam maximè animo in Rheni limitem & Germaniam ulciscendam. Eò Germanicus in Galliam missus, & octo apud Rhenum legionibus impositus. Validum id belli robur, quod cum suis auxilijs & equitatu nonnulli ad centum millia censuere militum. Quatuor legiones ad superiorem Rheni ripam inter Tribocos, Nemetes, Vangiones, nimirum ab Alsatia finibus Mogunciacum usque; quatuor ad inferiorem Rheni ripam apud Ubios, & per adiacentia Rheno loca ad Vetera usque castra, & Frisiam dispositæ. Omnis hæc vis bellica metu Arminij & Germanorum ad Rheni custodiam contracta, & per quadraginta Drusi castella est divisa. Et quia idem simul metus inceserat à Pannonijs, Dalmatis, & ceteris trans Danubium populis rebellionem machinantibus: seu hi victoria Arminij provocati, seu à Germanis sollicitati fuerint ad belli societatem. Augustus Cæsar bello Illyrico Tiberium imposuit, abeuntemque in Campaniam Beneventum usque comitatus est; ipse deinde Nola petijt, ubi cum invaletudine & senio ad extrema vitæ urgere-
tur, revocatus ex itinere à Liviâ matre Tiberius, spirantemve adhuc
an exa-

an exanimem repererit, haud satis compertum. Excessit Augustus xiv. Kal. Septembris Anno Christi xvi. ætatis lxxv. Imperij post Actiacam victoriam xlv. inter virtutum & vitiorum libramenta magnus: versoque rerum statu, & invec̃ta primũ Monarchia Reipublicæ, Urbis non minus, quàm Orbis domitor. Nulla tamen trans Rhenum Germaniæ pars omnibus hisce bellis & totius Imperij nervis subacta in provinciam. Stitẽre hic fata armorum cursum, tanquam Augusti nomen istic clauderent, unde cum Francis & Saxonibus aliquando surrecturum esset.

Obitus
Augusti
Cæf. An.
Christi 6.
Dio
Baronius,
Alij mortuum volunt Ann.
Christi
XIV.



LIBER